AUTHOR:

AY, GUSTAV

TITLE:

DE LIVII EPITOMA DEPERDITA

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1894

Master Negative #

93-81180-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Ay, Gustav, 1866-
De Livii epitoma deperdita; dissertatio inauguralis quam... scripsit Gustavus Ay... Lipsiae, typis M. Hoffmanni, 1894.
71 p. 22 cm.

Thesis, Leipzig.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-15-93 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202








Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
LIVII EPITOMA DEPERDITA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUSTAVUS AY

LIPSIENSIS.

LIPSIAE
TYPIS M. HOFFMANNI
1894.

CURTIO WACHSMUTHIO

SACRUM.

Postquam Niebuhrius[1]) primus annorum adductus computatione, qua usi sunt Eutropius in breviario a. u. c. et Paulus Orosius in iis librorum adversum paganos partibus, in quibus agitur de rebus gestis Romanorum, coniecit Livii epitomam nunc quidem deperditam exstitisse, ex quo fonte scriptor earum quoque Livii periocharum, quae ad nos venerunt, hauserit, Mommsenus[2]) in prooemio fastorum Cassiodori compluribus huius locis cum Obsequentis aliorumque Livii excerptorum collatis Niebuhrii coniecturae maiorem probabilitatem conciliavit.

Quae Niebuhrius coniecerat, Mommsenus non ita multis locis probabiliter exposuerat, Carolus Zangemeister[3]) evicisse mihi videtur.

Qui in dissertatione de Titi Livii periochis comparatis Livii periochis et Orosii libris demonstravit, neque periocharum scriptorem neque Orosium e Livio ipso hausisse, sed utrumque Livii epitoma deperdita usum esse. Non solum enim verborum a Livio discrepantium invenitur mira inter periochas et Orosium consensio, sed res etiam traditae ita a Livio interdum abhorrent, ut nemo Livium illorum locorum fontem non fuisse neget, etiamsi e verborum similitudine Livium primam materiam praebuisse intellegitur. Neque tamen Orosius periochis fonte usus est; nam cum saepissime Orosius et periocharum auctor

---

[1]) Niebuhr, 'röm. Geschichte' III² pg. 479; 500. idem, 'Vorträge' I (1846) pg. 58.

[2]) Th. Mommsen, 'die Chronik des Cassiodorus Senator' in: 'Abhandl. d. K. S. Ges. d. Wiss.' VIII. pg. 552; 696.

[3]) Zangemeister, in: 'Festschrift zur Begrüssung der 36. Philologenversammlung in Karlsruhe' pg. 87 sqq.

et inter se et cum Livio congruant, eadem ab utroque varie tractari haud raro videmus, cum alter copiosis interdum verbis enarret, quae alter paucissimis tangit aut omnino praeterit. Addit Zangemeister his, quae dixit de periochis et Orosio, Obsequentis locum, quo hunc quoque e communi periocharum et Orosii fonte hausisse probatur, et ex eadem epitoma illa Vopisci, Eutropii, Rufi Festi, Idatii sumpta esse demonstrat, quae Mommsenus non e Livio ipso fluxisse iam prius viderat. Quibus expositis Zangemeister coniecit excerpta Liviana, quae in Augustini libro de civitate Dei exstant, ab eadem epitoma pendere, qua ceteri Livii excerptores usi sunt.

Juvat igitur primum Augustini illa excerpta colligere, collecta cum singulis Livii locis, quantum quidem fieri potest, et Livii excerptorum comparare, ut intellegatur, quatenus Zangemeisteri vera sit coniectura.

De Augustino Livii excerptore.

Cum Augustinus multis locis et plerumque accurate fontes suos significet, Livium non nisi duobus locis laudatum invenimus:

1. Aug. II. 24. pg. 77, 19 (editionis Dombartinae, Lipsiae 1863.)

„Sulla certe ipse, cuius tempora talia fuerunt, ut superiora, quorum vindex esse videbatur, illorum comparatione quaererentur, cum primum ad Urbem contra Marium castra movisset, adeo laeta exta immolanti fuisse scribit Livius, ut custodiri se Postumius haruspex voluerit capitis supplicium subiturus, nisi ea quae in animo Sulla haberet diis iuvantibus implevisset. sqq."

Mutuatus est Augustinus, quae hoc capite de Sulla tradit, a Livii libro 70., quem interiisse eo magis dolendum est, cum paulo infra (pg. 78, 19): „Postea parvo intervallo servus cuiusdam Luci Pontii vaticinando clamavit: A. Bellona

„nuntius venio, victoria tua est, Sulla." ipsa fontis verba servasse videatur, quae si comparare cum Livio possemus, cognosceremus, utrum Livium potius secutus sit Augustinus an epitomam. Sed cum ne unus quidem ex excerptoribus similem locum praebeat, nihil certi de hoc loco dici potest.

2. Aug. III 7. pg. 92, 26.

Haud multo certiora nobis offeruntur altero loco, quem Augustinus Livio se debere confirmat:

„eversis quippe et incensis omnibus cum oppido simulacris solum Minervae sub tanta ruina templi illius, ut scribit Livius, integrum stetisse perhibetur, non ut diceretur:

Di patrii, quorum semper sub numine Troia est,[1]

ad eorum laudem, sed ne diceretur:

Excessere omnes adytis arisque relictis Di,[2]

ad eorum defensionem."

Ut superiore ita hoc quoque loco Livium ipsum comparare non possumus, cuius libro 83. Augustinum esse usum periocha illius libri docetur; quae cum haec solum de Ilii eversione tradat pg. 80, 6 (ed. Jahn.): „urbem Ilium, quae se potestati Syllae reservabat, expugnavit ac delevit (Fimbria)" — ad comparationem parum apta — ,apud Eutropium omnino nihil hac de re legitur. Contra et Obsequens et Aurelius Victor accuratiora adferunt:

Obsequens pg. 131, 24. „Ilio a C. Fimbria incenso cum aedes quoque Minervae deflagrasset, inter ruinas simulacrum antiquissimum inviolatum stetit spemque restitutionis oppido portendit."

Aurel. Vict. de viris ill. cap. 70, 3.:

„Ilium ubi tardius portae patuerunt, incendi iussit (Fimbria); ubi Minervae templum inviolatum stetit, quod divina majestate servatum nemo dubitavit."

Neque omnino quidem inter se congruunt, quae tradita invenimus: cum Aurelius Victor totum Minervae templum

---

[1]) Aen. l. IX 247, non ut Dombart adnotavit l. I 702.
[2]) Aen. II 351.

inviolatum stetisse dicat, Obsequens et Augustinus palladium solum non deflagrasse memoriae prodiderunt; tamen Aurelium Victorem et Obsequentem eodem ex fonte sua hausisse verisimile est, cum verba illa: „inviolatum stetit“ nimis singulariter sint dicta, quam ut utrumque sua sponte in haec verba incidisse persuadere mihi possim. Fortasse Aurelius ipse mutavit, quae a Livio tradita invenit; ea enim, quae apud Obsequentem et Augustinum servata legimus, vulgo esse lata Appianus quoque probat Mithr. 53., neque contradicit Orosius, qui omissa templi deflagratione haec scribit VI 2, 11:

„inde Fimbria Iliensibus iratus, a quibus pro Sullanae partis studio obiectu portarum repulsus videbatur, ipsam urbem Ilium, antiquam illam Romae parentem, funditus caede incendioque delevit.“

Verisimile igitur est Livium quoque illa verba: „simulacrum Minervae solum inviolatum stetit“ praebuisse, sed cum Obsequentem ex epitoma hausisse constet, diiudicari non potest, utrum Livio ipsi verba illa Obsequentis simillima Augustinus debeat an non; nihil tamen causae est, cur omnino non Livii ipsius opus Augustinum excerpsisse putemus, quippe qui permulta legerit atque pervolutaverit veterum scripta.

His duobus, ut supra iam dixi, locis Livium auctorem suum fuisse Augustinus affirmat; multis aliis, qui sine dubio livianam materiam continent, fontem omnino non significat. Quorum complures inveniuntur, ubi et res traditae et verba Augustini, cum consentiant cum iis, quae apud Livii excerptores leguntur, ita ab ipso abhorrent, ut satis demonstretur Augustinum quoque epitoma illa deperdita esse usum.

3. Aug. III 13, pg. 99, 22.

„(Deinde) Titum Tatium regem Sabinorum socium regni Romulus ferre compulsus germani sortis impatiens: sed quando et istum toleraret, qui fratrem geminumque non pertulit?“

Eadem invenimus apud Orosium, qui perhibet II 4, 6: „ducem eorum Titum Tatium, senem honestis pietatis causis insistentem, diu armis propulsatum, mox ut in societatem regni adsumpsit, occidit.“

Cum in Romulum culpam Titi Tatii interfecti conferentes inter se congruant Augustinus et Orosius, discrepant a Livio (l. I 14, 2. 3), quem primam utriusque fonti materiam praebuisse haud difficile intellegitur.

4. Aug. III 16, pg. 107, 11: „Lucretius, qui in locum Bruti fuerat subrogatus, morbo, antequam idem annus terminaretur absumptus est.“ Morbo esse mortuum Lucretium Eutropius quoque enarrat verbis simillimis I 10: „Valerius Publicola Spurium Lucretium Triceptinum collegam sibi fecit, Lucretiae patrem, quo morbo mortuo iterum Horatium Pulvillum collegam sibi sumpsit.“ Neque tamen Augustinus sequi mihi videtur Eutropium, cum singillatim enumeret, quibus defunctis in magistratu consulibus singuli consules suffecti successerint: Lucretius Bruto, P. Valerius Collatino, M. Horatius Lucretio. Haec apud Eutropium tam accurate expressa non leguntur; qua de re mea quidem opinione concludendum est Eutropium et Augustinum ex eodem quidem fonte sed non e Livio ipso hausisse, qui II 8, 4 tradit: „(Lucretius) magno natu non sufficientibus iam viribus ad consularia munera obeunda intra paucos dies moritur.“

Alia quoque de causa Augustinum non ex Eutropio hausisse existimandum est: „Publicolam enim recte (pg. 107, 14) P. Valerium appellat, cum Eutropii codices Paeanius et Ioannes quoque Antiochen. ei praenomen Lucii inderent.“[1]) Consensio autem illa inter Augustinum et Eutropium ('morbo absumptus' — 'morbo mortuo') satis explicatur, si utrumque ex communi fonte hausisse fingimus, qui Livius ipse non erat.

---

[1]) Verba sunt Pirogoffii, 'de Eutropii breviarii a. u. c. indole ac fontibus' pg. 88.

5. **Aug.** III 19, pg. 114, 8: „. . . . tres modios anulorum aureorum Carthaginem misit (Hannibal), quo intellegerent . . ." Eadem legimus apud Eutropium et Orosium.

Eutr. III 11: „tres modios anulorum aureorum Carthaginem misit, quos ex manibus equitum Romanorum senatorum et militum detraxerat."

Oros. IV 16, 5: „Hannibal in testimonium victoriae tres modios anulorum aureorum Carthaginem misit, quos ex manibus interfectorum equitum Romanorum senatorumque detraxerat." Illo „interfectorum" non Eutropio Orosium esse usum probatur; legimus enim etiam apud Valerium Maximum 7, 2 ext. 16: „Magone Cannensis pugnae exitum senatui Poenorum nuntiante inque tanti successus fidem anulos aureos trium modiorum mensuram explentes fundente, qui interfectis nostris civibus detracti erant, quaesivit (Hanno) an aliquis sociorum post tantam cladem a Romanis defecisset, atque ut audivit neminem ad Hannibalem transisse, suasit protinus legati Romam, per quos de pace ageretur, mitterentur." Atque similia periocha XXIII. pg. 26, 21 praebet: „nuntius Cannensis victoriae Mago Carthaginem missus anulos aureos corporibus occisorum detractos in vestibulo effudit, quos excessisse modii mensuram traditur. Post quem nuntium Hanno, vir ex Poenis nobilibus, suadebat senatui Carthaginiensium, ut pacem a populo Romano peterent, nec tenuit obstrepente Barcinae factione." Haec periocharum verba e Valerio Maximo non fluxisse facile intellegitur; cum enim periochae perhibeant: „non tenuit obstrepente Barcinae factione", Val. Maximus nomen inimicae factionis omnino non adfert, cum tradat: „cuius si sententia valuisset neque secundo Punico bello victa Carthago neque tertio deleta foret."

Nemo autem non videbit illud:

Val. Maximi: anuli interfectis nostris civibus detracti.

Orosii: — anulos, quos ex manibus interfectorum equitum Romanorum senatorumque detraxerat.

Eutropii: — anulos, quos ex manibus equitum Romanorum senatorum et militum detraxerat.

Periocharum: anulos corporibus occisorum detractos eidem fonti omnes debere, qua de re concludendum esse mihi videtur, eodem auctore esse usos Val. Maximum et scriptorem epitomae Livii deperditae, ex quo pendent, qui servati sunt Livii excerptores. Sed neque Periochae tradunt ab Hannibale tres modios anulorum Carthaginem esse missos: „anulos aureos Mago effudit, quos excessisse modii mensuram traditur" — neque Florus illum habet numerum, apud quem legimus (pg. 30, 6 ed. Halm.): „modii duo anulorum Carthaginem missi."

Atque primum non mihi videtur Florus illos tres modios in duo mutavisse, cum vulgo feratur;[1]) verisimilius est, numerum illum a librariis esse depravatum; facillime enim MODII III linea una omissa abire potuit in MODII II. Probabilius et simplicius hoc modo Flori discrepantia explicatur, quam Wölfflini coniectura, quam exposuit in dissertatione de periochis Livii in commentationibus in honorem Th. Mommseni pg. 340.

Quo concesso haud ita multum a veritate mea quidem opinione abhorret, si putamus illud „modii" periocharum e MOD. II ortum esse quod nihilo minus e MOD III librariorum neglegentia in MOD II commutari poterat quam Flori numerus. Sed ut vera non sit haec sententia, intellegitur Augustinum, Eutropium, Orosium certe ex eodem fonte hausisse, qui non fuit Livius 23, 12, 1, cum tradat: „tantus acervus fuit, ut metientibus dimidium supra tris modios explesse sint quidam auctores."

6. **Aug.** III 15, pg. 105, 26: „Haec fuit Romanorum vita sub regibus laudabili tempore illius rei publicae usque ad expulsionem Tarquinii Superbi per ducentos ferme et quadraginta et tres annos." —

Nullius momenti esse Augustini „ferme" nemo non concedet. Cui si nullam vim tribuimus summam inter Livii excerptores contra ipsum videmus esse consensionem:

---

[1]) locos Wölfflinus adfert: Comment. in hon. Momms. pg. 340

Eutropius I 8, 4: „Ita Romae regnatum est per septem reges annis ducentis quadraginta tribus.

Festus Rufus 2: „Regnarunt Romae per annos CCXLIII reges numero VII."

Orosius II 4, 13: „sed Romani quanta mala per CCXLIII annos continua illa regum dominatione pertulerint, non solum unius regis expulsio verum etiam eiuratio regii nominis et potestatis ostendit."

Qui cum omnes regum Romanorum imperium fuisse tradant annorum 243, Livius scribit I 60, 4: „regnatum Romae ab condita urbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quattuor."

7. Aug. II 17, pg. 65, 1 et III 16, pg. 106, 8.

pg. 65, 1: „Junius Brutus consul Lucium Tarquinium Collatinum, ..., collegam suum, bonum atque innocentem virum, propter nomen et propinquitatem Tarquiniorum coegit magistratu se abdicare nec vivere in civitate permisit.'

pg. 106, 8: „Nam Junius Brutus exhonoratum eiecit Urbe collegam Lucium Tarquinium Collatinum."

Ad verbum fere cum his consentit Periocha II pg. 6, 10: „Tarquinium Collatinum collegam suum propter adfinitatem Tarquiniorum suspectum coegit consulatu se abdicare et civitate cedere."

Non sponte sed coactum Tarquinium magistratu se abdicasse dicit etiam Eutropius I 9: „Tarquinio Collatino statim sublata est dignitas." et, si quidem recte locum intellego, Obsequens 70, pg. 138, 18: „constat neminem, qui magistratum collegae abstulerat, annum vixisse · abrogaverunt autem hi Lucius Iunius Brutus consul Tarquinio Collatino, Tib. Gracchus M. Octavio . . .". Omnes autem contra Livium pugnant, cum dicant vi coactum Tarquinium urbem reliquisse; constat enim sponte se magistratu abdicasse (cf. Liv. II 2, 3—10). Tarquinium Bruto Lucretio aliis orantibus.[1])

8. Aug. III 15, pg. 104, 13.

---

[1]) cf. Pirogoff. pg. 53.

„reges Romanorum, excepto Numa Pompilio et Anco Marcio, qui morbo interierunt, quam horrendos exitus habuerunt."

Eutropius quoque perhibet I 3 et I 5 morbo esse mortuos Pompilium et Ancum Marcium et Aurelius Victor de Numa eadem adfert cap. 3: „morbo solutus in Janiculo sepultus est." Pirogoffius pg. 46. Eutropium e catalogo quodam mortes regum Romanorum referente haec hausisse dicit, ex Eutropio autem fluxisse, quae ab Augustino narrantur. Cui sententiae assentiri non possum; nam cum totius huius capitis verba accuratiora sint quam Eutropii, has quoque res, quibus una cum Eutropio contra Livium pugnat, non ex Eutropio Augustinus hausisse mihi videtur. Similitudinem verborum inter Augustinum et Eutropium maximam interdum esse concedendum est, sed communi fonti potius talia tribuerim. Recedunt autem Augustinus et Eutropius a Livii narratione. (cf. I 21, 6; 35, 1).

Cum his, quae adhuc tractavi, locis rebus traditis a Livio discrepent, aliis compluribus propter verborum concinnitatem non Livium ipsum sed alium ab illo pendentem fontem excerptores secutos esse existimandum est.

9. Aug. III 17, pg. 109, 11.

„ubi erant dii, quando rursus populus, cum fame laboraret, praefectum annonae primum creavit, atque illa fame invalescente Spurius Maelius, quia esurienti multitudini frumenta largitus est, regni adfectati crimen incurrit et eiusdem praefecti instantia per dictatorem L. Quinctium aetate decrepitum a Quinto Servilio magistro equitum cum maximo et periculosissimo tumultu civitatis occisus est?" Cum verbis illis: „cum maximo atque periculosissimo tumultu civitatis" verisimile fiat Augustinum neque periochis neque Aurelio Victore esse usum, illa „regni adfectati" — „occisus est" eundem fontem indicare mihi videntur. Invenimus enim apud Aur. Vict. 17, 6 haec verba: „Spurium Maelium regnum adfectantem a Servilio Ahala magistro equitum occidi

iussit (Cincinnatus)." Periochae vero tradunt pg. 9, 25: „cum fame populus laboraret, Spurius Maelius, eques Romanus frumentum populo sua impensa largitus et ob id factum conciliata sibi plebe regnum adfectans a C. Servilio Ahala magistro equitum iussu Quinti Cincinnati occisus est."

Ad verbum fere consentiunt periochae, Aurelius Victor et ex parte Augustinus contra Livium, qui easdem res plane aliis verbis enarrat IV 13,1—14,7: „Spurius Maelius — frumento privata pecunia ex Etruria coempto largitiones frumenti facere instituit — ipse ut est humanus animus insatiabilis eo, quo fortuna spondet, ad altiora et non concessa tendere et quoniam consulatus quoque eripiendus invitis patribus esset de regno agitare. — Ahala eum obtruncat."

10. Aug. V 18, pg. 198, 34. „Curtius armatus equo concito in abruptum hiatum terrae praecipitem se dedit, deorum suorum oraculis serviens, quoniam iusserant, ut illuc id quod Romani haberent optimum mitteretur, nec aliud intellegere potuerunt quam viris armisque se excellere." Cum his comparanda sunt, quae leguntur apud auctorem periocharum pg. 13, 2 et apud Orosium III 5,2. Tradunt enim periochae: „cum telluris hiatu tota ad ultimum territa patria foret, tunc omnia missa sunt in praealtum voraginen urbis Romanae in eam Curtius armatus sedens equo praecipitavit ita expletam." Orosius l. l.: „satisfecit improbis faucibus praecipitio sui M. Curtius, vir eques armatus." Quae non aliter scribere potuisse mihi videntur Augustinus, Periochae, Orosius: ('praecipitem se dedit' — 'praecipitavit' —'praecipitio') quam eundem fontem sequentes, qui sententiam similiter conformatam excerptoribus praebebat. Neque tamen Livium ipsum fontem fuisse facile intellegitur, cum nihil excerptorum simile apud eum legamus VIII 6,5.

11. Eadem dicenda esse mihi videntur de Augustini loco pg. 198, 23.

Aug. V 18, pg. 198,23: „Mucius, ut cum Porsenna rege pax fieret, qui gravissimo bello Romanos premebat, quia Porsennam ipsum occidere non potuit et pro eo alterum

deceptus occidit, in ardentem aram ante eius oculos dexteram extendit, dicens multos tales, qualem illum videret, in eius exitium coniurasse." Cum paucis verbis haec commemoret Orosius (II 5,3: „nisi hostem Mucius constanti urendae manus patientia permovisset") ,plura de hoc virtutis antiquae Romanae exemplo et ea Augustino simillima habent periochae pg. 7, 2: „occiso scriba, quem regem esse existimaverat, comprehensus impositam manum altaribus, in quibus sacrificatum erat, exuri passus est, dixitque tales trecentos esse coniuratos in mortem ipsius regis." Eademque fere adfert Aurelius Victor cap. 12: „Apprehensus et ad regem pertractus dextram aris imposuit — — — ait, trecentos adversus eum similes coniurasse." Quamquam Augustinum neque periochas neque Aurelium Victorem exscribere facillime intellegitur, tamen ad eorum fontem referenda esse mihi videntur eius verba. Cum enim ipse habeat

Augustinus: in ardentem a r a m dextram extendit,
Aurelius Victor autem: a r i s dextram imposuit
et Periochae praebeant: a l t a r i b u s manum impositam,

Livius ipse scribit II 12,13: „dextram accenso ad sacrificium f o c u l o inicit." ,quem sequi videtur Florus pg. 10,14: „ardentibus focis inicit manum."

12. Aug. V 18, pg. 200,7: „. . . audiat vel legat, Quintium Cincinnatum, cum quattuor iugera possideret et ea suis manibus coleret, ab aratro esse adductum, ut dictator fieret, maiore utique honore quam consul victisque hostibus ingentem gloriam consecutum in eadem paupertate mansisse?" Simillima tradit Florus pg. 11, 24—34, neque tamen fons est Augustini, cum quattuor iugera Cincinnatum possedisse non perhibeat; nec Eutropium, ex quo Augustini narrationem fluxisse dicit Pirogoffius pg. 88, sequitur Augustinus, cum omittat ille rus redisse Cincinnatum ceterum ad verbum congruens I 17: „Lucius Quinctius Cincinnatus dictator est factus, qui agrum quattuor iugerum possidens manibus suis colebat." Sed cum Augustinum Eutropio usum non esse his, quae dixi, efficiatur, propter magnam inter eos

similitudinem concludendum est, mea quidem opinione, ex eodem fonte utrumque hausisse, quem Livium ipsum non fuisse facile videbit, qui conferat, quae Livius III 26, 8, 9 de Quintio Cincinnato memoriae prodidit.

13. Aug. V 18, pg. 200, 5: „cum audiat vel legat, L. Valerium, qui in suo defunctus est consulatu, usque adeo fuisse pauperem, ut nummis a populo conlatis eius sepultura curaretur?“ Lucium hoc loco Augustinus appellat Valerium, quem III 16 pg. 107, 14 recte T. Valerium nominaverat,[1]) quo sequi videtur epitomam; ex qua haurientes Lucium illum primi rei publicae anni consulem vocatum esse auctores sunt: Periocha II pg. 6, 21; Cassiodorus 245; Aurelius Victor XV.; Eutropius I 9[2]), cum Livius ipse praebeat II 2: „P. Valerius.“

14. Aug. III 15, pg. 104,25: „hunc (Tarquinium) illi dii nefarium parricidam soceri interfectione regnantem insuper multis bellis victoriisque gloriantem et de manubiis Capitolium fabricantem non abscedentes sed praesentes manentesque viderunt et . . . perpessi sunt.“ Capitolium aedificavisse praeterea exhibent periochae Ia et Ib pg. 3, 2; pg. 5 et Aurelius Victor VIII 4, neque dubitandum est, quin (Eutropius I 6), periocharum auctor, Aurelius Victor eundem fontem secuti sint, quem Augustinus, id est epitomam illam Livii deperditam; non enim apud Livium ipsum „Capitolium“ legitur, cum de eadem re aliis verbis enarret I 55,1: „Jovis templum in monte Tarpeio monumentum regni sui nominisque reliquit.“

Diversitate rerum traditarum et varietate verborum, quibus una cum compluribus excerptoribus a Livio abhorrere Augustinum vidimus, non ipso rerum gestarum illo scriptore fonte esse usum Augustinum his, quos attuli, locis satis demonstratum esse arbitror. Plurimi autem loci eadem continent, quae apud Livium eiusque excerptores enarrata inveniuntur.

[1]) cf. etiam Pirogoffium pg. 88.
[2]) cf. Mommsenum, Cassiodor. pg. 696.

Diiudicandum igitur est in singulis, utrum Livium ipsum secutus sit Augustinus, an una cum excerptoribus ex illa epitoma Livii deperdita hauserit. Atque primum eos tractabo locos, quos cum Livii ipsius textu comparare possumus.

15. Aug. I 6, pg. 10, 17: „Fabius Tarentinae urbis eversor, a simulacrorum depraedatione se abstinuisse laudatur. nam cum scriba suggessisset, quid de signis deorum quae multa capta fuerant fieri iuberet, continentiam suam etiam iocando condivit. Quaesivit enim cuiusmodi essent, et cum ei non solum multa grandia verum etiam renuntiarentur armata: ‘relinquamus, inquit, Tarentinis deos iratos.’“

Omnes praeter Florum Livii excerptores de Tarento a Fabio expugnato consentiunt. Periochae pg. 30, 16: „Fabius Maximus cos. pater Tarentinos per proditionem recepit.“ Aurelius Victor eodem fortasse fonte usus 43, 6: „Tarentum ab hostibus recepit.“ Pluribus verbis hac de re agitur apud Eutropium, quem sequitur Orosius. Eutr. III 16: „Interea in Italia consul Quintus Fabius Maximus Tarentum recepit, in qua ingentes copiae Hannibalis erant. ibi etiam ducem Hannibalis Carthalonem occidit, XXV milia captivorum vendidit, praedam militibus dispertivit, pecuniam hominum venditorum ad fiscum retulit.“ Orosius IV 18, 5: „Fabius Maximus consul Tarentum, quae a Romanis desciverat, iterum expugnavit et cepit ibique ingentes copias Hannibalis cum ipso duce eius Carthalone delevit, XXX milia hominum captivorum vendidit, pretia in fiscum rettulit.“ Recte mihi Zangemeister[1]) Orosium hoc loco ex Eutropio hausisse dicere videtur, numerum enim livianum (l. XXVII 16, 7) „milia triginta“, quem etiam ab Orosio traditum invenimus, temporum iniquitate in codicibus Eutropii in XXV milia depravatum esse putandum est. Nec tamen Eutropium e Livio ipso hausisse inde cognoscitur, quod cum apud Livium traditum reperiamus (XXVII 16,5): „Carthalonem, praefectum Punici praesidii,

[1]) Vide Zangemeisteri editionen Orosii in Corpore scriptorum ecclesiasticorum vol. V. pg. 255.

cum commemoratione paterni hospitii positis armis venientem ad consulem, miles obtruncat", Eutropii verba ita certe intelligenda sunt, ut Carthalonem non casu, sed aut iussu Fabii aut ab ipso consule interfectum esse existimemus. Quae Eutropii discrepantia una cum illo „recepit Tarentum" Eutropii, periocharum, Aurelii Victoris communem fontem monstrare mihi videtur. Cum autem a nullo Livii excerptore mentio facta sit illius apud Augustinum de Fabio narrationis et cum ea, quae apud Augustinum legimus de facete illo Fabii dicto, accuratius fere cum Livii ipsius verbis congruant, quam ut ex alio auctore illa fluxisse verisimile sit, Augustinum hoc loco e Livio ipso hausisse arbitrarer, nisi paulo ante alium fontem sequi videretur; legimus enim

16. Aug. I 6, pg. 10, 6: „Egregius Romani nominis Marcus Marcellus, qui Syracusas urbem ornatissimam cepit, refertur eam prius flevisse ruituram et ante eius sanguinem suas illi lacrimas effudisse. Gessit et curam pudicitiae etiam in hoste servandae. Nam priusquam oppidum victor iussisset invadi, constituit edicto, ne quis corpus liberum violaret. Eversa est tamen civitas more bellorum . . . "; addendum his etiam est Aug. III 14, pg. 100, 29: „unde Marcellus Syracusanam civitatem recolens eius paulo ante culmen et gloriam sub manus suas subito concidisse communem cogitans condicionem flendo miseratus est."

Apud Livium solum eadem fere feruntur, qui tamen non eandem causam lacrimarum Marcelli adfert (XXV 24, 11). Sed cum nemo excerptorum hac de re verba fecerit, in dubio relinquitur, utrum fons etiam excerptorum misericordia Marcellum flevisse perhibuerit, an Augustinus de suo haec scripserit. E Livio mutuatus esse videtur, quae sequuntur pg. 10, 10 (cf. Liv. XXV |25, 7); totius tamen loci verba tam communia sunt, ut certiora de fonte eius haud facile dicantur.

17. Aug. I 19; pg. 27, 35: „Lucretiam certe matronam nobilem veteremque Romanam pudicitiae magnis efferunt laudibus. Huius corpore cum violenter oppresso Tarquinii regis filius libidinose potitus esset, illa scelus improbissimi

iuvenis marito Collatino et propinquo Bruto viris clarissimis et fortissimis indicavit eosque ad vindictam constrinxit. Deinde foedi in se commissi aegra atque impatiens se peremit." Nil certi de hoc loco dici potest: Livii de hac re narrationem eandem fere excerptores quoque praebent, neque tamen Augustini et ceterorum verba ita a Livio abhorrent, ut omnino ipsum auctorem non fuisse concludi possit. Rem traditam invenimus in periochis pg. 6, 2: „ . . . (Lucretia), quae ad se vocato patre Triceptino et viro Collatino obtestata ne inulta eius mors esset cultro se interfecit." Simillima habet Aurel. Victor IX 4: „Illa postero die advocatis patre et coniuge rem exposuit et se cultro, quem veste texerat, occidit." Qui cum duos viros a Lucretia ad vindicandam expugnatam pudicitiam excitatos esse tradant, apud Eutropium I 8 aeque atque apud Livium I 58 amici quoque commemorantur. Una cum Augustino Florus pg. 9, 4 duos viros Lucretiae ultores fuisse dicit, sed cum Triceptinum et Collatinum adferat Augustinus, Florus Brutum et Collatinum nominat ea occasione usus, quod iis consulibus Tarquinium expulsum esse enarrat, qua de causa nullam huic loco vim inesse mea quidem sententia est.

18. a) Aug. II 16, pg. 63, 33: „Numa Pompilius, qui Romulo successit in regnum, quasdam leges — condidisse fertur, qui eis multa etiam sacra constituit, non tamen perhibetur easdem leges a numinibus accepisse."

b) Aug. III 9, pg. 93, 17: „Hi (dei) etiam Numam Pompilium successorem Romuli adiuvisse creduntur, ut toto regni sui tempore pacem haberet et Jani portas, quae bellis patere adsolent, clauderet, et merito scilicet, quia Romanis multa sacra constituit." Hanc rem tractavit Livius I 19, 5: „simulat (Pompilius) sibi cum dea Egeria congressus nocturnos esse, cuius monitu, quae aptissima diis essent, sacra instituere." eademque fere verba tradita invenimus in periocha I b pg. 5 et apud Aurelium Victorem III 1. Eutropius, qui non dicit a diis Numam sacra accepisse, ex eodem tamen fonte hausisse videtur atque periochae. Exhibet enim I 3:

„sacra et templa constituit“ cum periochae praebeant „ritus sacrorum tradidit, Jano templum constituit.“ Fortasse illud „constituit“, quod Augustinus quoque habet, communem fontem indicat, quem aliis locis Eutropium, periocharum auctorem, Augustinum secutos esse constat, tamen differentia inter „constituit“ et „instituit“ Livii minor est, quam ut quidquam certi concludi liceat.

19. Aug. III 14, pg. 100, 7: „Tunc eventum belli de tergeminis hinc atque inde fratribus placuit experiri: a Romanis tres Horatii, ab Albanis autem tres Curiatii processerunt; a Curiatiis tribus Horatii duo, ab uno autem Horatio tres Curiatii superati et extincti sunt. — — — accessit aliud huic tergeminorum pugnae ultimae atrox atque horrendum malum. Nam ut erant ambo populi prius amici (vicini quippe atque cognati) uni Curiatiorum desponsata fuerat Horatiorum soror; haec postea quam sponsi spolia in victore fratre conespxit, ab eodem fratre, quoniam flevit, occisa est.“

Huius Curiatiorum et Horatiorum certaminis paucis verbis mentionem faciunt periochae pg. 4, 11; 5, 19 et Orosius II 4, 9; plura de hac re adfert Florus pg. 6, 5, qui tamen propter verborum diversitatem comparari non potest. Eadem fere atque apud Augustinum leguntur apud Aurelium Victorem de vir. ill. IV 6—8. Imprimis eundem auctorem Augustinus et Aurelius sequi mihi videntur de morte puellae, mirum enim in modum congruunt verba Aurelii Victoris: „sororem obviam habuit, quae viso paludamento sponsi sui, qui unus a Curiatiis erat, *flere* coepit, frater eam occidit“ cum Augustini loco: „uni Curiatiorum desponsata fuerat Horatiorum soror, haec postea quam sponsi spolia in victore fratre conspexit, ab eodem fratre, quoniam *flevit*, occisa est.“ Non verisimile est sponte utrumque in illa verba incidisse, quae quodammodo a Livii textu abhorrent, qui scribit I 26, 3: „stricto gladio simul verbis increpans transfigit puellam.“ Tamen hac parva discrepantia non adducerer, ut Livium ipsum ab Augustino non esse adhibitum putarem, nisi aliis locis satis probaretur, Augustinum epitoma esse usum.

20. Aug. II 17, pg. 64, 15: „quid enim iustius et melius, filias alienas fraude spectaculi inductas non a parentibus accipi, sed vi, ut quisque poterat, auferri.“ Neque Livius ipse neque excerptores cum his Augustini verbis comparandi esse mihi videntur. Nam cum paucis tangant rem periocha I pg. 5; Florus pg. 4, 35; Aurel. Vict. II 2; Eutropius I 2, Orosius II 4, 5, uberioribus eam explicat verbis Livius I 9; neque tamen dici potest, utrum fontem adhibuerit, an verba illa e memoria, ut mihi quidem videtur, attulerit Augustinus.

21. Aug. II 17, pg. 65,8: „Marcus Camillus —, qui Veientes, gravissimos hostes populi Romani, post decennale bellum, quo Romanus exercitus totiens male pugnando graviter afflictus est, iam ipsa Roma de salute dubitante atque trepidante, facillime superavit, eorumque urbem opulentissimam cepit, invidia obtrectatorum virtutis suae et insolentia tribunorum plebis reus factus est, tamque ingratam sensit, quam liberaverat civitatem, ut de sua damnatione certissimus in exilium sponte discederet et decem milibus aeris absens etiam damnaretur, mox iterum a Gallis vindex patriae futurus ingratae.“ Vix certi quidquam de huius loci fonte dicatur. Cum enim Florus pg. 12, 18; periocha V pg. 10, 24; Orosius II 19, 1. 2 obsidionem Veiorum decem annorum fuisse exhibeant, Eutropius I 20: „diu obsidens cepit antiquissimam atque ditissimam civitatem“ dicit. Propius accedunt ad Augustinum, quae leguntur apud Aurelium Victorem XXIII 3. 4, qui eadem de Camilli exilio tradit atque Augustinus. Neque tamen ille huius auctor est, cum omittat, decem milibus aeris Camillum absentem esse damnatum. Intellegitur Aurelium Victorem XXIII 2 sqq; periocham V pg. 11,5—11; Orosium II 19, 1. 2 eodem auctore esse usos, — neque eum Livium ipsum fuisse Orosii et periocharum fontem Zangemeisterum satis edocuisse arbitror —, sed quamquam Augustini loci initium cohaeret cum Aurelio Victore, tamen Augustinum e Livio ipso hausisse crederem — non solum enim illa, quae supra iam attuli verba apud utrumque leguntur:

„quindecim (decem)[1]) milibus (gravis) aeris absens damnatur Camillus", sed etiam illa Livii verba: „urbis opulentissimae" solus servavit Augustinus —, nisi huius ipsius capitis locus, qui antecedit, contradiceret; non enim mihi verisimile est Augustinum nunc epitoma octo autem versibus infra Livio ipso fonte esse usum. Vidimus autem ex epitoma fluxisse illa verba, quae supra tractavi sub 1—14:

Aug.: II 24, pg. 77, 19; II 17, pg. 65, 1;
III 7, pg. 92, 26;
III 13, pg. 99, 22;
III 15, pg. 104, 13; 104, 25; 105, 26;
III 16, pg. 106, 8; 107, 11;
III 17, pg. 109, 11;
III 19, pg. 114, 8;
V 18, pg. 198, 23; 198, 34; 200, 5; 200, 7;

Neque aliunde esse haustos eorundem capitum locos, qui livianam materiam praebent, persuadere mihi possum, etiamsi a contextu orationis solutos et separatim contemplatos facile quis e Livio ipso eos esse sumptos existimet.

Sed iam redeo ad enumerandos illos locos:

b) Aug. III 17, pg. 109, 23: „ubi erant (dei), quando per decem continuos annos male pugnando crebras et magnas clades apud Veios exercitus Romanus acceperat, nisi per Furium Camillum tandem subveniretur, quem postea civitas ingrata damnavit? — ubi erant, quando Galli Romam ceperunt, spoliaverunt, incenderunt, caedibus impleverunt? ubi erant, cum illa insignis pestilentia tam ingentem stragem dedit, qua et ille Furius Camillus extinctus est, qui rem publicam ingratam et a Veientibus ante defendit et a Gallis postea vindicavit? in hac pestilentia scaenicos ludos aliam novam pestem non corporibus sed, quod est multo perniciosius, moribus intulerunt."

[1]) Numerum livianum (cf. Liv. V 32, 9): „quindecim milibus gravis aeris absens damnatur" aut Augustinus aut librarius mutavit in ‚decem', qua de re hic numerus contra Livium auctorem pugnare mihi non videtur.

Nil addendum est de eis, quae huic Augustini loco cum priore communia sunt. Mortem autem Camilli traditam invenimus ab Eutropio II 4, causam illius mortis addunt periochae pg. 12, 18 adiunctis etiam illis, quae apud Augustinum de nova ludorum scaenicororum institutione leguntur (periocha VII. pg. 12, 18—20): „pestilentia civitas laboravit, eamque insignem fecit mors Furii Camilli; cuius remedium et finis, cum per novas religiones quaereretur, ludi scaenici tunc primum facti sunt", quae nisi ex epitoma fluxisse Zangemeister comprobavisset e Livio ipso hausta esse putaremus, cum ad verbum congruant cum Livio VII 1, 8: „maxumeque eam pestilentiam insignem mors quam matura tam acerba M. Furii fecit." De ludis scaenicis vide, quae paulo infra Livius[1]) scribit VII 2, 3: „cum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis ludi quoque scaenici, nova res bellicoso populo — nam circi modo spectaculum fuerat — inter alia caelestis irae placamina instituti sunt." Similia epitomam secutus Orosius adfert III 4, 1. 3. 5, qui cum scribat „ita pro depellenda temporali peste corporum arcessitus est perpetuus morbus animorum" praeter fontem primarium Augustinum quoque adhibuisse videtur.

c) Tertium de F. Camillo verba facit Augustinus V 18, pg. 198 12—16 nihil tamen novi addens: „Si F. Camillus etiam ingratam patriam, a cuius cervicibus acerrimorum hostium Veientium iugum depulerat, damnatusque ab aemulis fuerat, a Gallis iterum liberavit, quia non habebat potiorem, ubi vivere posset gloriosius."

22. Aug. III 13, pg. 99, 18: „Romulus de suorum iam virtute desperans Jovem oravit, ut starent, atque ille hac occasione nomen Statoris invenit." Non satis propria haec verba sunt, ut affirmari possit unde hausta sint. Rem ipsam similiter tractatam invenimus apud Florum pg. 5, 7 et

[1]) qui Varrone usus esse videtur. cf. pg. 29.

apud Aurelium Victorem II 8; sed ne de horum quidem fonte certi quidquam constat.

23. Aug. III 15, pg. 104, 15: „Tullus, ut dixi, Hostilius, victor et eversor Albae, cum tota domo sua fulmine concrematus est.“ Eadem legimus apud Eutropium I 4: „fulmine ictus cum domo sua arsit“, Aurelium Victorem IV 4: „fulmine ictus cum regia conflagravit“, Periocham Ib, „fulmine absumptus est, sed etiam Livius simillima tradit I 31, 8: „fulmine ictum cum domo conflagrasse“.

24. Aug. III 16, pg. 106, 10: „deinde mox in bello cecidit (Brutus) mutuis cum hoste vulneribus“. Cum sine dubio ex eodem fonte hauriant periocha II. et Orosius IV 5, 2 (per.: cum Arrunte commortuus est — Oros.: commortuo)[1]) Augustini verba invenimus apud Florum pg. 10, 25 et apud Aurel. Vict. X 6, qui quem sint secuti auctorem incertum est. Hoc unum dici tamen potest, Augustinum non a Livio ipso pendere, cum hic scribat II 6, 9: „contrario ictu uterque transfixus ex equis lapsi sunt“. Eutropius haec habet I 10: „Brutus et Aruns in vicem se occiderunt“ et ita novam verborum conformationem iis, quae exstant, adiungit. Cum autem paulo supra Augustinum una cum Eutropio, periochis, Obsequente ex epitoma hausisse videamus,[2]) eum hic quoque eidem fonti sua debere opinor, et pleonasmum fortasse in epitoma exstitisse puto: „mutuis vulneribus — commoriuntur“, cuius alteram partem Augustinus, Florus, Aurelius Victor, alteram periocharum auctor et Orosius receperunt.

25a) Aug. III 17, pg. 109, 3: „ubi erant (dei) quando Valerius consul ab exulibus et servis incensum Capitolium cum defensaret occisus est, faciliusque ipse prodesse potuit aedi Jovis, quam illi turba tot numinum cum suo maximo atque optimo rege cuius templum liberaverat, subvenire?“ eadem fere leguntur apud Livium III 15,5; 18, 10 sed etiam periochae huius rei mentionem faciunt pg. 8, 14: „Capitolium

[1]) cf. Zangemeister, Festschrift pg. 96.
[2]) Aug. III 16, pg. 106, 8.

ab exulibus et servis occupatum caesis his receptum est“, neque est, cur non Augustinum fonte periocharum esse usum arbitremur.

b) Aug. III 7, pg. 109, 8: „ubi erant (dei) quando densissimis fatigata civitas seditionum malis, cum legatos Athenas missos ad leges mutuandas paululum quieta opperiretur, gravi fame pestilentiaque vastata est.“ Legatos Athenas esse missos Livius enarrat III 31, 8, de fame et pestilentia scribit III 32, 1 2; epitomam autem deperditam his de rebus verba fecisse cognosci possumus ex periocha III. pg. 8, 23 et Orosio II 13 1.

c) Aug. III 17 pg. 109. 11. cf. pg. 13.

d) Aug. III 17 pg. 109, 18: „ubi erant, quando pestilentia maxima exorta diis inutilibus inane remedium populus diu multumque fatigatus nova lectisternia, quod nunquam antea fecerat exhibenda arbitratus est? lecti autem sternebantur in honorem deorum unde hoc sacrum vel potius sacrilegium nomen accepit.“

Cum nihil de illo lectisternio praebeant excerptores ceteri, Augustini locus comparari potest cum sola Livii enarratione V. 13, 6.

e) De verbis Augustini III 17 pg. 109, 23—34 cf. quae diximus supra pg. 22.

f) Aug. III 17 pg. 109, 34—37. haec Augustini verba neque cum Livio ipso neque cum excerptoribus comparari possunt; dicetur de eis infra pg. 42.

g) Aug. III 17, pg. 109, 37. „ubi erant (dei) quando in Caudinas furculas a Samnitibus obsessi ambo cum exercitu consules foedus cum eis foedum facere coacti sunt ita ut equitibus Romanis sescentis obsidibus datis ceteri amissis armis aliisque spoliati privatique tegminibus sub iugum hostium cum vestimentis singulis mitterentur?“

Atque primum quidem constat Augustinum non a periocha IX. pendere, cuius tamen verba pg. 15, 10 Augustini simillima: „foedere cum Samnitibus facto et sexcentis equitibus Romanis obsidibus datis ita exercitum abduxerunt, ut

omnes sub iugum mitterentur", communi fortasse fonti debentur; neque tamen certi quidquam de hac re dici potest, cum Orosius III 15, 2—6 Augustinum ipsum sine dubio fontem adhibeat, (cf. Oros. III 15, 7: 'foedissimi foederis —' Liv. IX 8, 11: 'foeda pax'), Eutropius autem II 9; Aurelius Victor XXX 3, 4; Florus pg. 16, 20 plane aliis verbis rem explicent.

h) Aug. III 17, pg. 110, 4 nullum habet similem apud excerptores locum. cf. infra pg. 42.

i) Aug. III 17, pg. 110, 6 „(ubi erant dii) quando item alia intolerabili pestilentia Aesculapium ab Epidauro quasi medicum deum Roma advocare adque adhibere complusa est." Cum rem eandam significent periochae pg. 17, 13: „cum pestilentia civitas laboraret, missi legati, ut Aesculapi signum Romam ab Epidauro transferrent —", Aurelius Victor ducem etiam legationis nominat XXII 1: „Romani ob pestilentiam responso monente ad Aesculapium Epidauro arcessendum decem legatos principe Q. Ogulnio miserunt." Quae cum prope accedant ad Augustinum, simillima tradit Orosius III 22, 5: „tanta ac tam intolerabilis pestilentia tunc corripuit civitatem, ut propter eam quacumque ratione sedandam libros Sibyllinos consulendos putarint horrendumque illum Epidaurum colubrem cum ipso Aesculapi lapide advexerint." Quae non ex Augustino, mea quidem opinione, sumpsit Orosius, cum accuratius rem enarret quam Augustinus, neque tamen verba illa „intolerabilis pestilentia" e Livio X 47, 6. 7 fluxerunt, qui cum non plura praebeat quam Augustinus ne Aurelii Victoris quidem fons fuisse potest. Sed ut Periochae XI. initio efficitur, verisimile est Livium in undecimo quoque libro huius rei mentionem fecisse, quare ex hoc Augustini loco solo nihil contra Livium ipsum Augustini auctorem concludi potest.

De reliquis huius Augustini capitis locis, cum Livium iam non comparare possimus, infra agendum erit.

26. Aug. III 19, pg. 114, 17—28: „Servis, immo ne faciamus iniuriam, iam libertis pro Romana re publica pugnaturis arma defuerunt. Detracta sunt templis — tunc etiam stipendiis sufficiendis cum defecisset aerarium, in usus publicos opes venere privatae, adeo unoquoque id quod habuit conferente, ut praeter singulos anulos [aureos] singulasque bullas, miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi auri senatus ipse, quanto magis ceteri ordines tribusque relinquerent." Rem legimus similibus verbis descriptam apud Livium XXII 57, 10. Augustini autem ipsius verba: „detracta sunt templis (arma)" Florus quoque tradit pg. 30, 23.

Neque tamen fons Augustini fuisse videtur, cum eadem verba reperiantur etiam apud Orosium IV 16, 8, qui plura quam Augustinus et Florus praebens neutrum auctorem sequitur. Docuit autem, ut opinor, Zangemeister quo ex fonte hauserit Orosius, quo modo verisimile fit hic quoque ut aliis locis Augustinum communi illo fonte esse usum, quem plura etiam hac de re atque accuratiora tradidisse periochae probant pg. 26, 13: „propter paucitatem militum VIII servorum armata sunt." (cf. Liv. XXII 57, 11).

b) Aug. III 19, pg. 113, 35: „Hannibale quippe ab Hispania surgente et Pyrenaeis montibus superatis Gallia transcursa Alpibusque disruptis, tam longo circuitu auctis viribus cuncta vastando aut subigendo torrentis modo Italiae faucibus irruente quam cruenta proelia gesta sunt, quotiens Romani superati!" Similia apud plerosque excerptores leguntur: Eutrop. III 8; Aurel. Victor 42, 4; Orosius IV 14, 3. Proxime autem accedit Augustinus ad verba Periocharum pg. 24, 12: „Hannibal superato Pyrenaeo ad Alpes venit." Livius ipse scribit XXI 24, 1: „Pyrenaeum transgreditur."

27: Aug. V 18, pg. 198, 3. „alius etiam Romanus princeps, cognomine Torquatus filium non quia contra patriam sed etiam pro patria, tamen quia contra imperium suum, id est contra quod imperaverat pater imperator, ab hoste provocatus iuvenali ardore pugnaret, licet vicisset, occidit;" — Uberioribus diversis tamen ab his verbis rem explicat Livius VIII 7, ad comparationem aptiores sunt Aurel. Victor: cap. 28: „consul bello Latino filium suum,

quod contra imperium pugnasset, securi percussit." et, quae ex eodem fonte sine dubio fluxerunt, periochae pg. 14, 11: „Titus Manlius filium, quod contra edictum eius adversus Latinos pugnaverat, quamvis prospere pugnasset, securi percussit." Neque ex alio auctore quam Periochae et Aurelius Victor Chronicon paschale hausisse mihi videtur, quamquam non Manlium Tarquatum sed Furium Camillum per errorem consulem illum fuisse exhibet, cum adnotet ad annum 429: (*Κάμιλλος*) *ὕπατος τὸν ἴδιον υἱὸν ἐπελέκισεν παρὰ γνώμην αὐτοῖ συμβαλόντα πόλεμον καὶ νικήσαντα.*" Cum igitur Augustini, Periocharum, Aurelii Victoris, Chronici paschalis textum contra Livii verba congruere videamus epitomae illis in excerptorum narrationibus verba exstare dubium esse iam non potest, etiamsi Orosius aliunde hauriens III 9, 2 aut ipse textum conformans contra illos quodammodo pugnet.

28. Aug. V 18, pg. 199, 7: „Se occidendos certis verbis quodam modo consecrantes Decii devoverunt, ut illis cadentibus et iram deorum sanguine suo placantibus Romanus liberaretur exercitus." Loci huius similes exstant apud Aurel. Vict. XXVI 5; XXVII, 4; Oros. III 9, 1; III 21, 4; Per. pg. 14, 14; 16, 25; Livium VIII 9, 4; X 28, sqq. sed nihil certi dicere possumus, nisi hoc loco Augustinum eodem fonte esse usum quo toto hoc capite putamus. (cf. pg. 26 ; 56).

Excerpta Augustini, quae adhuc tractavi, comparare poteramus cum Livii ipsius textu. Cuius operis cum minor pars servata sit, haud pauci inveniuntur apud Augustinum loci, quos materiam livianam continere eis solum, quae apud Livii excerptoribus leguntur, probatur. Ad singulos locos tractandos transeamus:

29. Aug. I 31, pg. 43, 2: „Nasica — a senatu illius temporis (quod saepe dicendum est) electus sine ulla sententiarum discrepantia vir optimus, caveam theatri senatum construere molientem ab hac dispositione et cupiditate compescuit persuasitque oratione gravissima, ne Graecam luxu-

riam virilibus patriae moribus paterentur obrepere et ad virtutem labefactandam enervandamque Romanam peregrinae consentire nequitiae, tantumque auctoritate valuit, ut verbis eius commota senatoria providentia etiam subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo iam uti coeperat, deïnceps prohiberet adponi." Rem non ita quidem accurate enarratam invenimus apud periochas pg. 51, 23; prope etiam accedit ad Augustinum Orosius IV 21, 4, qui tamen eo auctore non usus est, cum dicat: „Nasica adeo movit senatum ut non solum vendi omnia theatro comparata iusserit" etsi ad verbum cum illo congruens pergit: „sed etiam subsellia ludis poni prohiberet." Quae verborum inter Augustinum et Orosium similitudo mea quidem opinione aliter non intellegitur, quam ut utrumque ex eodem fonte hausisse putemus, scilicet ex epitoma Liviana, cum Orosium non e Livio ipso sua sumpsisse constet. Cum autem periocharum et Orosii auctor rem ab Augustino quoque allatam tradiderit, veri simile fit materiam ipsam esse livianam. Reliquorum de ludis circensibus locorum, qui apud Augustinum inveniuntur (II 8: „illos ludos ipsos deos, ut sibi solemniter ederentur et honori suo consecrarentur acerbe imperando et quodammodo extorquendo fecisse; quod in primo libro brevi commemoratione perstrinxi. nam ingravescente pestilentia ludi scenici auctoritate pontificum Romae primitus instituti sunt." et III 17: „in hac pestilentia scenicos ludos aliam novam pestem — intulerunt." —) Varro mihi potius fons fuisse videtur. (cf. autem etiam Liv. VII 2, 3, apud nos supra pg. 23).

40. Aug. III 17, pg. 110, 11—15: (ubi erant dei) cum conspirantibus uno tempore hostibus Lucanis, Brutiis, Samnitibus, Etruscis et Senonibus Gallis primo ab eis legati perempti sunt deinde cum praetore oppressus exercitus septem tribunis cum illo pereuntibus et militum tredecim milibus?" Optime ad haec Augustini verba quadrant illa, quae apud Orosium III 22, 12—14 leguntur: „Dolabella et Domitio coss. Lucani, Bruttii, Samnites quoque cum Etruscis et Senonibus Gallis facta societate, cum redivivum contra Romanos

bellum molirentur, Romani ad exorandos Gallos misere legatos; quos cum Galli interfecissent, Caecilius praetor ob ulciscendam legatorum necem et comprimendum tumultum hostium cum exercitu missus, ab Etruscis Gallisque oppressus interiit; septem praeterea milia militum in ea pugna occisi, multi nobiles trucidati, tredecim milia militum Romanorum illo bello prostrata sunt." Ad easdem res pertinent loci Augustini et Orosii, neque tamen Augustinum auctorem sequitur Orosius; cum enim tradat foedus inter singulos populos esse ictum, cum a Gallis legatos esse interfectos dicat et praetoris nomen adferat, quae non leguntur apud Augustinum, etiam illa, quae finem versus ad verbum cum Augustino congruunt, huic non debere mihi videtur Orosius, sed e communi fonte hausisse, quem in periocha XII. quoque adhibitum esse videmus: hic enim etiam res (exceptis numeris Orosianis) ut apud Orosium traditas esse videmus et vestigia invenimus, quibus apparet nomina populorum, quibuscum Romanis bellum gerendum erat in fonte periocharum deinceps enumerata fuisse: „cum legati Romanorum a Gallis Senonibus interfecti essent — L. Caecilius praetor ab eis cum legionibus caesus est . . . Samnites defecerunt; adversus eos et Lucanos et Brittios et Etruscos aliquod proeliis a compluribus ducibus bene pugnatum est." Quae cum tam paucis verbis quam ab Augustino, Orosio, periocharum scriptore factum est, certe non Livius ipse commemorasset, ex his iam verisimile fit Augustinum illa ab Orosio et Periochis excerpta epitoma esse usum.

b) Aug. III 17, pg. 110, 16. „(ubi erant dei), quando post longas et graves Romae seditiones, quibus ad ultimum plebs in Ianiculum hostili diremptione secesserat, huius mali tam diu calamitas erat, ut eius rei causa, quod in extremis periculis fieri solebat, dictator crearetur Hortensius, qui plebe revocata in eodem magistratu expiravit?" Nil ceteri excerptores hac de re tradunt praeter periochas solas, quae ad verbum fere cum Augustino coeunt pg. 17, 26: „plebs propter aes alienum post graves et longas seditiones ad ultimum secessit in Ianiculum, unde a Hortensio dictatore deducta est; isque in ipso magistratu decessit."

Vix tam pressus Livius fuisset, quare Augustinum hoc quoque loco epitomae sua debere arbitror.

31. Aug. III 20, pg. 115, 1—19. „Sed in omnibus belli Punici secundi malis nihil miserabilius ac miserabili querella dignius quam exitium Saguntinorum fuit. Haec quippe Hispaniae civitas amicissima populi Romani, dum eidem populo fidem servat, eversa est. Hinc enim Hannibal fracto foedere Romanorum causas quaesivit, quibus eos inritaret ad bellum. Saguntum ergo ferociter obsidebat; quod ubi Romae auditum est, missi sunt legati ad Hannibalem, ut ab eius obsidione discederet. Contempti Carthaginem pergunt querimoniamque deponunt foederis rupti infectoque negotio Romam redeunt. Dum hae morae aguntur, misera illa civitas opulentissima, suae rei publicae Romanaeque carissima, octavo vel nono a Poenis mense deleta est. —. Primo fame contabuit; nam etiam suorum cadaveribus a nonnullis pasta perhibetur. Deinde omnium fessa rerum, ne saltem captiva in manus Hannibalis perveniret, ingentem rogum publice struxit, in quem ardentem ferro etiam trucidatos omnes se suosque miserunt."

Cum Sagunti eversionem paucis verbis enarret auctor periocharum pg. 24, 9—12, plura de his facit Florus pg. 28, 14—26, qui tamen non auctor est Augustini, cum breviter attingat Romanorum ad Hannibalem et Carthaginem legationem, de qua plura perhibet Augustinus. Sed ex Eutropio III 7 intellegitur ipsius auctorem uberiorem fuisse; commune autem illud: „civitas amicissimi populi Romani" Augustini, „civitatem Romanis amicam" Eutropii (III, 7). „amicam populi Romani" Orosii (IV 14, 1) ex eodem fonte fluxisse iure existimare mihi videor.

32. Aug. III 22, pg. 118, 21. „Mithridates, rex Asiae, ubique in Asia peregrinantes cives Romanos atque innumerabili copia suis negotiis intentos uno die occidi iussit; et factum est."

Cum omnino aliter de hac re agat Florus pg. 53, 37,

parvam praebent similitudinem periochae pg. 77, 15: „iussuque eius quidquid Romanorum in Asia fuit uno die trucidatum est.“ et Eutropius V, 5: „per omnem Asiam litteras misit, ut ubicumque inventi essent cives Romani uno die occiderentur.“ Melius autem quadrant ad Augustini verba ea, quae leguntur apud Aurelium Victorem LXXVI 3: „Litteras per totam Asiam misit, ut quicumque Romanus esset, certa die interficeretur; et factum est.“, neque minus apta sunt ad comparationem, quae tradit Orosius VI 2, 2: „crudeli praecepit edicto, ut per totam Asiam quicumque inventi essent cives Romani sub una die omnes necarentur; et factum est.“ Cohaerere inter se excerptorum narrationes facile intellegitur, cum ex illis Augustini, Aurelii Victoris, Orosii communibus verbis „et factum est“ ,tum ex Aurelii Victoris Eutropii-Orosii sententiis: „ut quicumque (ubicumque) inventi essent cives Romani“ et Aurelii Victoris et Eutropii: „litteras per omnem (totam) Asiam misit.“ Neque tamen Zangemeistero assentior, qui (pg. 356) Eutropium Orosii hoc loco auctorem fuisse statuit, cum enim illud Orosii „et factum est“, quod omisit Eutropius, etiam apud Aurelium Victorem et Augustinum legamus, non ab ipso Orosio haec verba addita sed e communi fonte hausta esse puto.

33. Aug. III 23, pg. 119, 19: „Namque antequam se adversus Romam sociale Latium commoveret, cuncta animalia humanis usibus subdita, canes, equi, asini, boves et quaeque alia pecora sub hominum dominio fuerunt, subito efferata et domesticae lenitatis oblita relictis tectis libera vagabantur et omnem non solum aliorum, verum etiam dominorum aversabantur accessum, non sine exitio vel periculo audentis si quis de proximo urgeret.“ Comparanda cum hoc Augustini loco exstant illa, quae Obsequens pg. 130, 4 et Orosius V 18, 19 tradunt. Et cum brevior sit Obsequens, quam ut certa ex eius verbis pro Augustini fonte concludi liceret, accuratius cum Augustino congruit Orosius; neque tamen huius singularis narratio ex illius prodigii descriptione prodisse potest, potius et sententiarum ordine et singulorum

verborum concentu effici mihi videtur utrumque communi fonte esse usum, qui utrum Livius ipse an epitoma fuerit hoc quidem e loco solo diiudicari non poterit.

34. Aug. III 24, pg. 120, 8: „post Gracchi alterius interfectionem Lucius Opimius consul, qui adversus eum intra Urbem arma commoverat eoque cum sociis oppresso et extincto ingentem civium stragem fecerat, cum quaestionem haberet iam iudiciaria inquisitione ceteros persequens, tria milia hominum cecidisse perhibetur.“ Quibuscum ad verbum fere consentiens Orosius tradit V 12, 10: „Opimius consul, sicut in bello fortis fuit, ita in quaestione crudelis, cum amplius tria milia hominum suppliciis necavit, ex quibus plurimi ne dicta quidem causa innocentes interfecti sunt.“ Quae Orosii memoria, cum eam non ex Augustino petitam esse verbis illis doceatur „ex quibus — interfecti sunt.“, communi fortasse fonti debetur, a quo nimis recedunt Florus pg. 67, 12; Aurelius Victor LXV; Obsequens pg. 122, 12—14.

35. a) Aug. III 27, pg. 123, 4: „cum primum victoria Mariana, quando de exilio se ipse restituit, exceptis passim quaqua versum caedibus factis caput Octavii consulis poneretur in rostris, Caesar et[1]) Fimbria in domibus trucidarentur suis, duo Crassi pater et filius in conspectu mutuo mactarentur, Baebius et Numitorius unco tracti sparsis visceribus interirent, Catulus hausto veneno se manibus inimicorum subtraheret, Merula flamen Dialis praecisis venis Jovi etiam suo sanguine litaret. In ipsius autem Marii oculis continuo feriebantur, quibus salutantibus dexteram porrigere noluisset.“ Neque periochae pg. 80, 4 neque Orosius VI 2, 11; V 20, 4 cum his, quae ab Augustino perhibentur, comparationem habent, partim propter locutionis brevitatem partim propter verborum et rerum diversitatem. Florum solum ad verbum cum Augustino convenientem invenimus pg. 75, 7 (ed. Halm.): „divisere copias Cinna, Marius, Carbo, Sertorius. hic postquam manus

[1]) „Caesares a Fimbria“ sine dubio scribendum est: cf. Dombarti adnotationem criticam pg. XIII, 16.

omnis Octavi depulsa Janiculo est, statim ad principum caedem signo dato aliquanto saevius quam vel in Punica urbe saevitur. Octavi consulis caput pro rostris exponitur, Antonii consularis in Mari ipsius mensis. Caesares a Fimbria in penatibus domum suarum trucidantur, Crassi pater et filius in mutuo alter alterius aspectu. Baebium atque Numitorium per medium forum unci traxere carnificum. Catulus se ignis haustu ludibrio hostium exemit. Merula flamen Dialis in Capitolio Iovis ipsius oculos venarum cruore respersit. Ancharius ipso vidente Mario confossus est, quia fatalem illam scilicet manum non porrexerat salutanti."

Atque primo quidem aspectu Florum auctorem Augustinus sequi videtur; tamen diligentius intuentem fugere non potest illa Augustini: „Catulus *hausto veneno* se manibus inimicorum subtrahit" non fluxisse e Floro, et: „Merula *praecisis venis* — Iovi litat" nostri rem accuratius designare quam Flori: „venarum cruore Iovis oculos respersit." Parva quidem sunt haec momenta sed confirmantur et augentur iis, quae sequuntur, pergit enim Augustinus:

b) Aug. III 28, pg. 123, 29: „Mucius Scaevola pontifex, quoniam nihil apud Romanos templo Vestae sanctius habebatur, aram ipsam amplexus occisus est, ignemque illum, qui perpetua cura virginum semper ardebat, suo paene sanguine extinxit." Cum his quoque Florus solus potest comparari; nam cum Orosius V 20,4 Scaevolam a Fimbria interfectum esse enarret, periochae pg. 82, 9 id esse factum in templo Vestae addunt. Quibus uberior scribit Florus pg. 76, 1: „nam Mucius Scaevola pontifex Vestalis amplexus aras tantum non eodem igne sepelitur". Quae quamvis simillima sint Augustini, tamen non auctor est Florus, exquisitior enim est Augustini dicendi modus: „Vestae ignem — suo paene sanguine extinxit" quam ut Flori verbis in eum esse adductum Augustinum persuadere mihi possim. Sed dicat aliquis neque huius neque praecedentis loci argumenta satis esse firma: his, quae sequuntur Augustini verbis, Florum non esse adhibitum satis probari existimo

c) Aug. III 28, pg. 123, 32: „Urbem deinde Sulla victor intravit, qui in villa publica non iam bello sed ipsa pace saeviente septem milia deditorum (unde utique inermia) non pugnando, sed iubendo prostravit. in Urbe autem tota quem vellet Sullanus quisque feriebat, unde tot funera numerari omnino non poterant donec Sullae suggereretur, sinendos esse aliquos vivere, ut essent quibus possent imperare qui vicerant".

Proxime ad hanc Augustini narrationem illa accedunt Flori pg. 76, 12: „quattuor milia deditorum inermium civium in villa publica interfici iussit: isti tot in pace non plures sunt? quis autem illos potest computare, quos in urbe passim quisquis voluit occidit? donec admonente Fufidio, vivere aliquos debere, ut essent quibus imperaret, proposita est ingens illa tabula." Non usum esse Augustinum Floro numerorum differentia ffieci opinor:

Aug.: septem milia deditorum
Flor.: quattuor milia deditorum

et ut hoc loco prioribus quoque rerum et verborum inter Augustinum et Florum convenientia communis utriusque fons significari mihi videtur. Qui autem ille fons fuerit, suspicari fortasse possumus, cum Orosium liberum scilicet ab Augustino propter complures diversitates cum illo congruentem scribere videamus V 21, 1: „Sulla mox atque Urbem victor intravit tria milia hominum, qui se per legatos dediderunt, contra fas contraque fidem datam inermes securosque interfecit." Arte inter se cohaerere Florum, Augustinum, Orosium nemo negabit, tamen non diiudicari potest, unde numeros excerptores hauserint, cum alius alium adferat:

Augustinus: septem milia
Florus: quattuor milia
Orosius: tria milia
per. pg. 82, 25: VIII milia.
Aur. Vict. 75, 10: IX milia.

tria vel quattuor milia tradita invenimus apud Strabonem frg. 69a (Otto)[1]): *Καὶ τοὺς μὲν ἐν τῇ μάχῃ κατέκοψε κελεύσας*

[1]) Plures locos adfert Otto: stud. Lips. supplt. XI pg. 81.

μὴ ζωγρεῖν, τοὺς δὲ ῥίψαντας τὰ ὅπλα, περὶ τριςχιλίους ἄνδρας ἢ τετρακιςχιλίους φασίν, εἰς τὴν δημοσίαν ἔπαυλιν τὴν ἐν τῷ Κάμπῳ καταγαγὼν εἶρξε. in dubio tamen ponendum est, utrum numeri Orosii et Flori aliquo modo cum Strabonianis cohaereant an non.

d) Aug. III 28, pg. 124, 4: „Tunc iam cohibita, quae hac atque hac passim furibunda ferebatur licentia iugulandi, tabula illa cum magna gratulatione proposita est, quae hominum ex utroque ordine splendido, equestri scilicet atque senatorio, occidendorum ac proscribendorum duo milia continebat.“ Paucis haec explicat Orosius V 23, 13; V 21, 3, neque plura de hac re facit verba Aurelius Victor 75, 10. Eadem atque Augustinus, sed non tam propriis verbis, exhibet Florus pg. 76, 17: „proposita est ingens illa tabula, et ex ipso equestris ordinis flore ac senatu duo milia electi, qui mori iuberentur: novi generis edictum.“

e) Aug. III 28, pg. 124, 12: „In quibusdam eorum, qui mori iussi erant, etiam ipsa licet crudelis ceterorum securitas genera mortium exquisita congemuit. quendam enim sine ferro laniantium manus diripuerunt, inmanius homines hominem vivum, quam bestiae solent discerpere cadaver abiectum. alius oculis effossis et particulatim membris amputatis in tantis cruciatibus diu vivere vel potius diu mori coactus est.“ Ad initium huius loci Flori sola narratio quadrat pg. 76, 19: „longum post haec referre ludibrio habita fata Carbonis, fata Sorani, Plaetorios atque Venuleios, Baebium sine ferro ritu ferarum inter manus laniatum, Marium, ducis ipsius fratrem, apud Catuli sepulcrum oculis effossis, manibus cruribusque effractis servatum aliquandiu, ut per singula membra moreretur.“ Illa Augustini verba: „alius oculis effossis sqq.“ non solum apud Florum sed etiam apud Orosium V 21, 7 exstant, itemque apud periochas pg. 83, 1 reperiuntur et ita fontem ostendunt; omnium commune invenimus: „effossis oculis“, et cum Florus scribat: „manibus cruribusque effractis“, periochae: „cruribus brachiisque fractis auribus praesectis“, Orosius autem: „membrisque minutiatim desectis vel etiam fractis“

perhibent. Videmus igitur altera parte ratione quadam inter se coniunctos esse Orosium et Periochas et Florum, altera Augustinum et Florum, qua de causa eundem fontem omnibus materiam praebuisse putandum esse mihi videtur, quem tamen non Livium ipsum sed epitomam deperditam fuisse Orosii et Periocharum locis satis probatur. Eademque dicenda esse arbitror de

f) Aug. III 28, pg. 124, 19: „Subhastatae sunt etiam, tamquam villae, quaedam nobiles civitates.“ Nil traditum est ab excerptoribus hac de re praeter Florum 76, 26: „municipia Italiae splendidissima sub hasta venierunt: Spoletium, Interamnum, Praeneste, Florentia.“ —, sed quamvis locus Augustini non contra pugnet, hic ut in superioribus Augustinus mea quidem opinione non Florum, sed epitomam, communem fontem, exscribit.

36. Aug. I 15, pg. 23, 1: „Marcus Regulus, imperator populi Romani, captivus apud Carthaginienses fuit. Qui cum sibi mallent a Romanis suos reddi quam eorum tenere captivos, ad hoc impetrandum etiam istum praecipue Regulum cum legatis suis Romam miserunt, prius iuratione constrictum, si quod volebant minime peregisset, rediturum esse Carthaginem. —. Nec post hanc persuasionem a suis ad hostes redire compulsus est, sed quia iuraverat, id sponte complevit. At illi eum excogitatis atque horrendis cruciatibus necaverunt. Inclusum quippe angusto ligno, ubi stare cogeretur, clavisque acutissimis undique confixo, ut se in nullam eius partem sine poenis atrocissimis inclinaret, etiam vigilando premerunt.“ Livium de hac re egisse eis efficitur, quae perhibentur a Floro pg. 25, 25; a periochis pg. 22, 2; ab Eutropio II 25; ab Orosio IV 10, 1; ab Aurelio Victore c. 40. Quorum Augustini simillimus est Aurelius Victor; nam cum Orosius Regulum Romam missum esse dicat, ut de pace ageret, periochae, Eutropius, Florus perhibeant: missus est Romam „ut de pace et, si eam non posset impetrare, de commutandis captivis ageret“ (ut verba ipsius periochae XVII. afferam), Aurelius Victor: „legatum de permutandis captivis Romam illum esse

missum" tradidit. Neque tamen Aurelium Victorem ab Augustino esse adhibitum illis Augustini verbis „ubi stare cogeretur", quae non exstant apud Aurelium Victorem, satis efficitur. Sed non satis magna inter excerptorum et Augustini verba est consensio, ut ex eodem fonte omnes hausisse existimare possimus. Tamen et hunc et libri V. cap. 18. locum ex epitoma hausisse existimo; cum enim hoc quoque loco de Attilii Reguli morte verba faciat, eisdem fere usus est, quibus periochae et Eutropius: periochae 22, 7: „supplico a Carthaginiensibus de eo sumpto periit" Eutropius II 25: „regressus igitur ad Africam omnibus suppliciis extintus est." Augustini autem verba sunt:

V 18, pg. 199, 26: „M. Regulus, ne crudelissimos hostes iurando falleret, ad eos ab ipsa Roma reversus est, quoniam, sicut Romanis eum tenere volentibus respondisse fertur, postea quam Afris servierat, dignitatem illic honesti civis habere non posset, eumque Carthaginienses, quoniam contra eos in Romano senatu egerat, gravissimis suppliciis necaverunt." Quae ab Augustino eodem ex fonte hausta esse verisimile est, ex quo alios huius capitis locos sumpsit. Unde autem illae de Torquato[1]), Camillo[2]), Mucio[3]), Curtio[4]) huius capitis narrationes fluxerint, supra satis probavisse mihi videor, neque minus quam his, sequentibus quoque locis[5]) confirmatur totius capitis, quantum quidem ad res Romanas spectat, fontem epitomam illam deperditam fuisse. Itaque, cum non verisimile sit duobus auctoribus Augustinum quae de Regulo tradidit debere, ut hunc illum quoque libri primi locum ex epitoma sumptum esse arbitror.

37. a) Aug. III 7, pg. 91, 21: „quid miserum commiserat Ilium, ut a Fimbria, Marianarum partium homine pessimo, everteretur?" E memoria fortasse haec scripta sunt. Vide quae scribit Augustinus pg. 92, 26 (cf. apud nos pg. 7).

[1]) pg. 27.
[2]) pg. 23.
[3]) pg. 14.
[4]) pg. 14.
[5]) cf. pg. 15 et 16.

b) Aug. III 7, pg. 91, 25: „Porro autem Fimbria prius edictum proposuit, ne cui parceretur, atque urbem totam cunctosque in ea homines incendio concremavit." Nullum habent similem locum haec verba apud excerptores.

38. Aug. I 23, pg. 33, 24: „ . . . nisi illum Catonem, qui se Uticae occidit." Haec quoque e memoria scripta esse puto; nam, etiamsi similia leguntur apud Eutropium VI 23: „Cato, Scipio, Petreius, Jnba ipsi se occiderunt"; apud Aurelium Victorem 80, 4: „victis partibus Uticam concessit — ubi semet occidit"; apud Orosium VI 16, 4: „Cato sese apud Uticam occidit"; tamen illud commune „occidit" non satis proprium est, ut Augustinum, Orosium, Eutropium, Aurelium Victorem opponam Floro et periocharum auctori, quorum cum tradat Florus pg. 87, 7: „stricto gladio revelatum pectus semel iterumque percussit", Periochae exhibent pg. 98, 10: „Cato cum se Uticae percussisset."

Neque certius quidquam dici potest de loco Augustini, qui sequitur:

39. Aug. I 30, pg. 41, 34: „At ille Scipio pontifex maximus vester, ille iudicio totius senatus vir optimus, istam vobis metuens calamitatem nolebat aemulam tunc imperii Romani Carthaginem dirui et decernenti ut dirueretur contradicebat Catoni, timens infirmis animis hostem securitatem et tamquam pupillis civibus idoneum tutorem necessarium videns esse terrorem."

Loci huius similes inveniuntur apud Periochas pg. 52, 6 et Florum pg. 40, 32, qui tamen verbis nimis ab Augustino recedunt.

40. Aug. II 25, pg. 79, 17: „In quadam Campaniae lata planitie, ubi non multo post civiles acies nefario proelio conflixerunt, ipsi inter se prius pugnare visi sunt (maligni spiritus). Namque ibi auditi sunt primum ingentes fragores, moxque multi se vidisse nuntiarunt per aliquot dies duas acies proeliari. Quae pugna ubi destitit, vestigia quoque velut hominum et equorum, quanta de illa conflictatione

exprimi poterant, invenerunt." Breviorem huius prodigii narrationem exhibet Obsequens pg. 132, 1 (ed. Jahn.), quem epitoma Livii deperdita fonte usum esse Zangemeister satis probavit; neque tamen verborum inter Obsequentem et Augustinum consensio hoc loco satis magna est, ut ex eodem fonte hac de causa utrumque hausisse concludendum sit.

41. Aug. III 11, pg. 96, 5: „neque enim aliunde Apollo ille Cumanus, cum adversus Achaeos regemque Aristonicum bellaretur, quadriduo flevisse nuntiatus est: quo prodigio haruspices territi cum id simulacrum in mare putavissent esse proiciendum, Cumani senes intercesserunt atque rettulerunt tale prodigium et Antiochi et Persis bello in eodem apparuisse figmento, et quia Romanis feliciter provenisset, ex senatus consulto eidem Apollini suo dona esse missa testati sunt. Tunc velut peritiores acciti haruspices responderunt simulacri Apollinis fletum ideo prosperum esse Romanis, quoniam Cumana colonia Graeca esset suisque terris, unde accitus esset, id est ipsi Graeciae, luctum et cladem Apollinem significasse plorantem. Deinde mox regem Aristonicum victum et captum esse nuntiatum est, quem vinci utique Apollo nolebat et dolebat et hoc sui lapidis etiam lacrimis indicabat."

Cum paucisissimis tangant bellum contra Aristonicum gestum periochae pg. 64 5, ad initium Augustini loci quadrant, quae leguntur apud Obsequentem pg. 120, 20: „Publius Crassus adversus Aristonicum dimicans occisus, Apollinis simulacrum Cumis lacrimavit per quadriduum." Vix tamen haec sufficiant, ut Augustinum et Obsequentem ex eodem fonte hausisse putemus.

42. a) Aug. III 7, pg. 110, 23: „Tum vero tam multa bella ubique crebruerunt, ut inopia militum proletarii illi, qui eo, quod proli gignendae vacabant, ob egestatem militare non valentes hoc nomen acceperant, militiae conscriberentur. Accitus etiam a Tarentinis Pyrrhus, rex Graeciae tunc ingenti gloria celebratus, Romanorum hostis effectus est. Cui sane de rerum futuro eventu consulenti satis urbane Apollo sic ambiguum oraculum edidit, ut, e duobus quidquid accidisset,

ipse divinus haberetur (ait enim: „Dico te, Pyrrhe, vincere posse Romanos") atque ita, sive Pyrrhus a Romanis sive Romani a Pyrrho vincerentur, securus fatidicus utrumlibet expectaret eventum. Quae tunc et quam horrenda utriusque exercitus clades! In qua tamen superior Pyrrhus exstitit, ut iam posset Apollinem pro suo intellectu praedicare divinum, nisi proxime alio proelio Romani abscederent superiores." Cum nullus apud excerptores locus inveniatur, qui ad initium huius Augustini narrationis quadrat, de Pyrrho a Tarentinis contra Romanos ad auxilium arcessito pauca exstant apud periochas pg. 18, 13. Uberiora aliis tamen verbis quam Augustinus de hac re adferunt Florus pg. 18, 18 et Eutropius II 11, qui eundem auctorem atque Aurelius Victor XXX secutus esse videtur. Quamquam enim Aurelius Victor versum illum Ennianum praebet: „Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse", quem servavit nobis Cicero de divinatione II 56, 116, non e Cicerone fluxerunt, quae Aurelius Victor tradidit, cum una cum Eutropio de Laevini fuga narrare pergat: „Laevinum consulem apud Heracleam elephantorum novitate turbavit" (cf. Eutr. II 11: „elefantorum auxilio vicit, quos incognitos Romani expaverunt. sed nox proelio finem dedit; Laevinus tamen per noctem fugit.") et ex eodem sine dubio fonte hauriens scribat: „cumque Romanos adversis vulneribus occisos videret, Ego, inquit, talibus militibus brevi orbem terrarum subigere potuissem." (cf. Eutr. l. l.: „quos cum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos iacere vidisset, tulisse ad caelum manus dicitur hac cum voce, se totius orbis dominum esse potuisse, si tales milites sibi contigissent."). Videtur igitur fons Aurelii Victoris et Eutropii communis versum illum etiam praebuisse; quem Augustinus mutavit, nisi forte putandum est, a lectore ad marginem eum adscriptum a librario in textum postea receptum esse. Ut autem Augustinus ipse versum illum Ennianum corruperit, totum de Pyrrho locum certe non ali auctori debet quam priores huius capitis.[1]) Eademque de causa reliqui quoque

[1]) cf. Aug. III 17. pg. 109, 11—18: 110, 11—15. apud nos pg. 13 et 29.

huius capitis loci, qui res a Livio sine dubio tractatas continent, epitomae tribuendi esse mihi videntur, quamquam neque apud Livium ipsum neque apud eius excerptores de rebus ab Augustino traditis verba ad comparationem faciendam exstant; tres autem hi sunt loci:

b) Aug. III 17, pg. 109, 34—37: „ubi erant (dei), quando alia pestilentia gravis de venenis matronarum exorta credita est, quarum supra fidem multarum atque nobilium mores deprehensi sunt omni pestilentia graviores?"

c) Aug. III 17, pg. 110, 4—6: „vel quando gravi pestilentia ceteris laborantibus, multi etiam in exercitu icti fulmine perierunt?"

d) Aug. III 17, pg. 111, 1—13: „atque in tanta strage bellorum etiam pestilentia gravis exorta est mulierum. Nam prius quam maturos partus ederent, gravidae moriebantur. [Ubi se, credo, Aesculapius excusabat, quod archiatrum, non obstetricem profitebatur.] Pecudes quoque similiter interibant, ita ut iam defecturum genus animalium crederetur. Quid hiems illa memorabilis tam incredibili inmanitate saeviens, ut nivibus horrenda altitudine etiam in foro per dies quadraginta manentibus Tiberis quoque glacie duraretur, [si nostris temporibus accidisset, quae isti et quanta dixissent!] Quid illa itidem ingens pestilentia, quamdiu saeviit, quam multos peremit! Quae cum in annum alium multo gravius tenderetur frustra praesente Aesculapio, aditum est ad libros Sibyllinos." Eadem fere, quae Augustinus initio huius loci praebet, leguntur apud Orosium IV 2, 2; qui tamen comparari non potest, cum ipse Augustinum adhibuisse videatur.

43. Augustini libri tertii caput 18. duos imprimis mihi locos continere videtur, quos ex epitoma fluxisse verisimile est:

a) Aug. III 18, 112, 34: „nam exundante nimis ultra morem fluvio Tiberino paene omnia urbis plana subversa sunt, aliis impetu quasi torrentis inpulsis, aliis velut stagno diuturno madefactis atque sublapsis." Quorum simillima sunt verba Orosii IV 11, 6: „nam Tiberis insolitis auctus imbribus et ultra opinionem vel diudurnitate vel magnitudine redundans omnia Romae aedificia in plano posita delevit."

b) Aug. III 18, pg. 112, 37: „istam deinde pestem ignis perniciosior subsecutus est, qui correptis circa forum quibusque celsioribus etiam templo Vestae suo familiarissimo non pepercit, ubi ei veluti vitam perpetuam diligentissima substitutione lignorum non tam honoratae quam damnatae virgines donare consuerant. Tunc vero illic ignis non tantum vivebat sed etiam saeviebat. Cuius impetu exterritae virgines sacra illa fatalia, quae iam tres, in quibus fuerant, presserant civitates, cum ab illo incendio liberare non possent, Metellus pontifex suae quodammodo salutis oblitus inruens ea semiustus abripuit." Hic quoque ut superiore loco, cum perpauca faciant de illo incendio periochae pg. 23, 6: „cum templum Vestae arderet Caecilius Metellus pontifex maximus ex incendio sacra rapuit." Orosius solus ad comparationem apta praebet IV 11, 8. 9: „aquarum gravissimam cladem gravior ignis secuta vastatio est: qui ignis, incertum unde surrexerit, plurimas civitatis partes pervagatus cum hominum domorumque miserabilem stragem fecit tum etiam tantum opum uno consumpsit incendio, quantum plurimae et peregrinae victoriae conferre non possent. dehinc cum omnia in circuitu fori popularetur, aedem Vestae corripuit et ne sibi quidem dis subvenientibus ignem illum, qui aeternus putabatur, temporarius ignis oppressit; unde etiam Metellus, dum arsuros deos eripit, vix bracchio semiustilatus aufugit." Quamquam maxima inter Orosium et Augustinum est consensio, tamen non hunc illius fontem fuisse putandum est; cum enim scribat Orosius „ignis, incertum unde surrexerit" et „Metellus vix bracchio semiustilatus aufugit" non solum accuratior est quam Augustinus, totus etiam Orosii locus exquisitior est, quam ut ex Augustino haustum eum esse verisimile sit. Quare cum Orosium ex epitoma Livii deperdita sua sumpsisse Zangemeisteri argumentis confirmatum sit, si Augustinum ex eodem fonte hausisse ponimus, nos iudicio non labi spero.

c) Aug. III 18, pg. 112, 12: „Instaurati sunt ex auctoritate librorum Sibyllinorum ludi sacrales, quorum celebritas

inter centum annos fuerat instituta felicioribusque temporibus memoria neglegente perierat. Renovarunt etiam pontifices ludos sacros inferis et ipsos abolitos annis retrorsum melioribus". Quae quamquam similem locum apud ceteros excerptores non habent, tamen non inepte dici mihi videtur, Augustinum eidem fonti haec debere, cui locos eiusdem capitis supra tractatos.

44. Aug. III 24, pg. 119, 35: „volebant enim (Gracchi) agros populo dividere, quos nobilitas perperam possidebat." De qua legis Liciniae renovatione accuratiora enarrant periochae pg. 63, 1—10; Aurel. Victor cap. 64, 3.[1]) Melius autem quam horum ad verba Augustini quadrant, quae invenimus apud Orosium de hac re tradita V 8, 3: „agrum a privatis eatenus possessum populo dividi statuit." Sed etiamsi credi nequit, illa paragrapho Orosium Augustino esse usum tamen in medio relinquendum est, utrum omnino Augustinus hoc loco communem excerptorum fontem sequatur, an e memoria haec verba scripserit.

45. Aug. III 31, pg. 128, 1—10: „Locustarum etiam in Africa multitudinem prodigii similem fuisse, cum iam esset populi Romani provincia, litteris mandaverunt, consumptis enim fructibus foliisque lignorum ingenti atque inaestimabili nube in mare dicunt esse deiectam, qua mortua redditaque littoribus atque hinc aere corrupto tantam ortam pestilentiam, ut in solo regno Masinissae octingenta hominum milia perisse referantur et multo amplius in terris littoribusque proximis. Tunc Ulticae ex triginta milibus iuniorum, qui ibi erant, decem milia remansisse confirmant." Ex eodem fortasse fonte haec Augustini narratio fluxit, unde Obsequens pg. 121, 20: „. . apparuit locustarum ingenti agmine in Africa, quae a vento in mare deiectae fluctibusque eiectae odore intolerabili Cyrenis mortiferoque vapore gravem pestilentiam fecerunt pecori; hominumque DCCC milia consumpta tabe proditum

[1]) Quibus neque Florus neque Eutropius adiungi potest, nam cum hic omnino de hac re taceat, ille (pg. 66 et 67) plane diversis verbis rem explicat.

est." Periocharum autem verbis pg. 65, 26: „pestilentia in Africa ab ingenti locustarum multitudine et deinde necatarum strage fuisse traditur." Obsequentis certe simillimis, ostenditur, epitomam deperditam talia continuisse; quare verisimile fit, Augustinum, ut aliis locis, hoc quoque ea esse usum.

b) Aug. III 31, pg. 127, 30: „Legimus apud eos Aetnaeis ignibus ab ipso montis vertice usque ad littus proximum decurrentibus ita mare ferbuisse, ut rupes exurerentur et pices navium solverentur. Hoc utique non leviter noxium fuit, quamvis incredibiliter mirum. Eodem rursus aestu ignium tanta vi favillae scripserunt oppletam esse Siciliam, ut Catinensis urbis tecta obruta et pressa dirueret; qua calamitate permoti misericorditer eiusdem anni tributum ei relaxavere Romani." Pauca de illa Aetnae eruptione facit Obsequens pg. 122, 12: „Aetnae incendio Catina consumpta"; accuratiora adfert Orosius I 13, 13: „Eodem tempore Aetna mons ultra solitum exarsit et torrentibus igneis superfusis lateque circumfluentibus Catinam urbem finesque eius oppressit ita ut tecta aedium calidis cineribus praeusta et praegravata conruerent: cuius levandae cladis causa senatus decem annorum vectigalia Catinensibus remisit." Facile intellegitur Augustinum non esse adhibitum ab Orosio, quem cum Liviana illa epitoma esse usum sciamus, maximamque inter Augustinum et Orosium similitudinem esse videamus, non falli mihi videor illam epitomam hoc quoque loco communem utriusque fontem esse putans.

46. Aug. IV 5, pg. 133, 24: „. . . quando paucissimi gladiatores in Campania de ludo fugientes magnum exercitum compararunt, tres duces habuerunt, Italiam latissime et crudelissime vastaverunt." Quamvis pauca de his Florus perhibeat pg. 72, 23, tamen non minus sunt apta eius verba ad comparationem cum Augustini narratione, quam illa quae legimus apud Periochas pg. 89, 19, ubi duo duces nominantur, verbis autem Periocharum similibus rem tradit Orosius V 24, 1. Dubitari autem iam non potest, quin Periochae et Orosius eundem auctorem secuti sint, etiamsi Oenomaum

ducem a Periochis omissum esse videmus. Quorum fontem, imprimis cum verborum magna sit apud eos consensio, ab Augustino quoque esse adhibitum, nil est quod contradicat.

47. Aug. V 18, pg. 199, 16: „Marcus Pulvillus dedicans aedem Iovis, Iunonis, Minervae falso sibi ab invidis morte filii nuntiata, ut illo nuntio perturbatus abscederet atque ita dedicationis gloriam collega eius consequeretur, ita contempsit, ut eum etiam proici insepultum iuberet, et sic in eius corde orbitatis dolorem gloriae cupiditas vicerat."

Cuius rei locus similis apud excerptores non exstat.

48. Aug. V 18, pg. 200, 12: „quid se magnum fecisse praedicabit, qui nullo praemio mundi huius fuerit ab aeternae illius patriae societate seductus, cum Fabricium didicerit tantis muneribus Pyrrhi, regis Epirotarum, promissa etiam quarta parte regni a Romana civitate non potuisse divelli ibique in sua paupertate privatum manere maluisse?" Cum minus quadrent ad Augustini narrationem, quae traduntur a Floro pg. 19, 27; a periochis pg. 18, 28; ab Aurelio Victore cap. XXXV., aptiora sunt ad comparandum cum Augustino, quae legimus apud Eutropium II 12: „unum ex legatis Romanorum Fabricium sic admiratus, cum eum pauperem esse cognovisset, ut quarta parte regni promissa sollicitare voluerit ad se transire, contemptusque est a Fabricio." Atque non verisimile est Augustinum Eutropio auctore esse usum, cum proprior sit illius narratio his verbis additis „in sua paupertate privatum manere maluisse." Quare communi fonti inter Augustinum et Eutropium similitudinem tribuere malim; nec iam dubitari potest, quin epitoma Livii deperdita hoc loco materiam utrique praebuerit item atque locis supra allatis.[1])

Pauci iam restant loci,[2]) quibus res a Romanis gestae et ad Romanos pertinentes commemorantur; quod cum paucis et communibus verbis fiat, omnino non illos locos ex auctore excerpsisse, sed e memoria scripsisse Augustinus mihi videtur.

[1]) cf. Aug. V 18.

[2]) libri V. cap. 22; libri XVIII. capp. 24; 45. Accuratius de fontibus Augustini libri XVIII. egit Fick. (Höxter 1886.)

Haec hactenus de Augustini excerptis livianis. Vidimus, quamvis pauci sint ii loci, quos cum Livio ipso comparare licet, satis multos tamen exstare, qui non e Livio hausti esse possunt. Materiam tamen livianam omnes excerptores praebere facillime intellegitur; quare, cum maximum saepissime cum Livio contextus concentum ostendant, omnes eo auctore usos esse concludendum est, qui cum liviani operis epitomam conscriberet, aliunde interdum res a Livii narratione diversas inseruit et cum ea, quae Livius tradidit retineret, ipsius dicendi genus saepius variavit. Quo ex fonte non solum illa Augustini excerpta fluxisse putandum est, in quibus quaedam a Livio discrepant, (concordant eadem cum aliis excerptoribus), sed eos etiam locos epitomae Augustinus sine dubio debet, quibus cum reliquis solum excerptoribus consentit; quod eo magis mihi existimandum esse videtur, quod auctorem illorum locorum non nominat. Duobus enim tantum locis Livium fontem sibi fuisse Augustinus dicit; sed quamquam nihil causae est, cur Livium ipsum omnino non esse adhibitum ab Augustino putemus, tamen hos quoque locos ex epitoma fluxisse non sine aliqua veritatis specie conici potest. Nam cum Augustini et Obsequentis verba illo loco, quo de Ilio everso et de Minervae simulacro servato[1]) agitur, eadem fere esse videamus, probabilius fit, Augustinum ut aliis ita hoc quoque loco Obsequentis fonte esse usum, quod si credi potest, concludendum esset epitomae illi livianae Livii ipsius nomen fuisse, quae coniectura propius ad veritatem accedere mihi videtur, cum Orosium, qui certe Livium omnino non adhibuit, tribus locis se eo fonte usum esse affirmare audiamus.[2])

[1]) cf. pg. 7.

[2]) Oros. III 21, 6; VI 15, 3; VII 2, 11. cf. Zangemeister ‚Festschrift‘ pg. 103.

De Floro et Aurelio Victore.

Excerptoribus eis, quos Mommsenus et Zangemeister ex epitoma Livii deperdita hausisse probaverunt, cum Augustini excerpta cum singulis excerptorum locis compararem, Florum et Aurelium Victorem[1]) addendos esse putavi. Quod non alienum a re fuisse locis illis Aurelii Victoris pg. 9; 15; 16; Flori pg. (11?); 33—37 allatis me demonstravisse existimo. Restant tamen duo loci Flori et Aurelii Victoris, quibus evincitur hos quoque epitoma fonte esse usos. Quorum alterum adfert Thouret.[2])

Florus pg. 14, 6 (ed. Halm): „sex mensibus barbari — quis crederet — circa montem unum pependerunt, nec diebus modo sed noctibus quoque omnia experti;"

Periocha V. pg. 11, 9 eadem enarrat: „Furius Camillus, dictator absens creatus, inter ipsum colloquium, quo de pacis condicionibus agebatur, cum exercitu venit et Gallos post sextum mensem urbe expellit ceciditque". Consentire videmus Florum cum Periocha V. eundem sine dubio fontem secutum, quo periocharum auctor usus est, contra Livium V 49, 5—6, qui Capitolium a Gallis sex menses esse obsessum non perhibet.

Altero loco una cum Aurelio Victore contra Livium pugnat Florus pg. 4, 35 sqq; ob raptas virgines Veientes Romanis bellum intulisse et fusos fugatosque esse, quod idem memoriae tradidit Aurelius Victor II.: „Antemnates, Crustumini, Fidenates, Veientes, Sabini etiam ob raptas [virgines] bellum adversus Romanos sumserunt." Quem locum Carolus Heyn ab Aurelio Victore e Floro esse haus-

[1]) de Aurel. Vict. XV. L. Vel. Publ. cf. pg. 29.

[2]) Thouret: „über den gallischen Brand" in annalium philol. class. vol. supplt. 11; 1880, pg. 175 sqq.

tum dicit[1]), qui tamen cum nomina populorum Romanis inimicorum non praebeat, Aurelii Victoris fons fuisse non potest. At si Eutropium I 2 comparamus, unde hauserit Aurelius Victor facilius intellegitur: perhibet enim Eutropius l. l.: „commotis bellis propter raptarum iniuriam Caeninenses vicit (Romulus) Antemnates, Crustuminos, Sabinos, Fidenates, Veientes." Videmus igitur Florum, Aurelium Victorem, Eutropium consentire contra Livium I 15, 4; itaque de excerptorum fonte iam dubitari nequit, cum ad verbum concongruentem inveniamus Aurelium Victorem cum Eutropio, quem epitoma fonte esse usum satis constare mihi videtur.

De Rufo Festo.

Cum apud Livium I 60, 4 sub regibus Romam fuisse per annos 244 traditum legamus, Augustinum[2]), Orosium, Rufum Festum, Eutropium annos 243 Romae esse regnatum tradere vidimus. Praeter hunc totius regni numerum singulorum regum annos traditos invenimus apud Rufum Festum cap. II., quos una cum Eutropii numeris abhorrere a livianis videbimus. Scribit enim Eutropius (ed. Droysen.) I 2: „Romulus cum orta subito tempestate non comparuisset anno regni tricesimo septimo ad deos transisse creditus est. — deinde Romae per quinos dies senatores imperaverunt et his regnantibus unus annus completus est."

I 3: „(Numa Pompilius) morbo discessit quadragesimo et tertio imperii anno."

I 4: „(Tullus Hostilius) cum triginta et duos annos regnasset, fulmine ictus cum domo sua arsit."

I 5: „(Ancus Marcius) vicesimo et quarto anno imperii morbo periit."

[1]) Carolus Heyn: de Floro historico, diss. inaug. Bonn. 1866. pg. 6. adnot.

[2]) cf. supra pg. 11.

I 6: „(Priscus Tarquinius) tricesimo octavo imperii anno per Anci filios occisus est et regis eius, cui ipse successerat."

[I 7: „(Servius Tullius) quot annos regnaverit non traditur."]

I 8: „(Lucius Tarquinius Superbus) cum imperasset annos quattuor et viginti cum uxore et liberis fugit. — ita Romae regnatum per septem reges annis ducentis quadraginta tribus."

Eadem leguntur apud Rufum Festum, qui Servii Tullii quoque annos ab Eutropio omissos adfert. Post verba capitis II.: „sic sub regibus anni numerantur CCXLIII, sub consulibus anni CCCCLXVII, sub imperatoribus anni CCCCVII" repetito regum imperii numero singulos reges et quot annos regnaverint enumerat Rufus Festus cap. II.: „Regnarunt Romae per annos CCXLIII reges numero VII.

Romulus regnavit annos XXXVII;
senatores per quinos dies annum unum;
Numa Pompilius regnavit annos XLIII;
Tullus Hostilius regnavit annos XXXII;
Ancus Marcius regnavit annos XXIIII;
Priscus Tarquinius regnavit annos XXXVIII;
Servius Tullius regnavit annos XLIIII;
Lucius Tarquinius Superbus,
qui expulsus regno est, annos XXIIII."

Efficiuntur anni 243, et tertium adfert hunc numerum Rufus Festus cap. III.: „sub regibus per annos CCXLIII. . . .', Summam videmus esse inter Rufum Festum et Eutropium numerorum congruentiam; neque enim alia quam Foersteri editio, mea quidem opinione, sequenda est, etiamsi „Tarquinius Priscus" in „Priscus Tarquinius" nulla de causa transmutavisse Foerster mihi videtur, nisi ut plane regum tabulam Rufi Festi cum Eutropio consentientem faceret. Imperii autem numerum huius regis recte retinuit, nullo contra pugnante codice, neque Pirogoffius in dissertatione de Eutropii breviarii indole ac fontibus pgg. 13 et 15 „errore quodam perductus" Prisco Tarquinio XXXVIII annos mea quidem

sententia tribuit (ut ait Jacobi in dissertatione de Festi breviarii fontibus pg. 12.) sed codicum numerum retinuit. Qua de causa numerum traditum 38 Jacobi l. l. mutaverit in 37 facilius intellegitur, cum eum codices, quos Foerster „b" littera significavit, sequentem imperio Tarquinii Superbi XXV annos tribuere videamus; qui numerus si accipi posset, ceteris non mutatis sane non plus quam triginta septem anni Prisci Tarquinii imperio relinquerentur. Cum vero nusquam Priscum triginta septem annos regnavisse tradatur, sed omnes codices triginta octo annos perhibeant, hunc numerum nos accipere et codicem Bambergensem, a quo Tarquinii Superbi imperium quattuor et viginti annorum fuisse fertur, sequi oportet; hoc enim solo modo convenit numerus a Festo tribus locis traditus cum summa singulorum regum imperii annorum. Quae Pirogoffium non fugerunt, qui numerum 243 in 244 mutavit. Neque tamen meliore iure livianum numerum pro Rufino substituere mihi videtur, quam Jacobi annorum 37 Tarquinii Prisci imperium fuisse dicit.

Summa igitur inter Eutropium et Rufum Festum numerorum consensio est. Tamen hunc illo auctore non esse usum Jacobi pgg. 11 et 12 docuit, at ne iis quidem locis (Rufi Festi capp. 20—25.), quibus Jacobi ex Eutropio Rufum Festum hausisse arbitrandum esse dicit, Rufum ab Eutropio pendere Mommsenus in prooemio Eutropii editionis Droysenianae[1]) satis mihi probavisse videtur. E communi igitur fonte utrumque hausisse efficitur; cum autem propter notitiarum brevitatem vix concludi possit, unde manaverint, quae apud Rufum Festum tradita invenimus, non dubitari potest Eutropii auctorem illum Livii epitomatorem fuisse, qui plerumque Livii ipsius verba servavit adhibitis interdum aliis quoque fontibus; quo factum est, ut, cum Rufus Festus et Eutropius cum Livio consentientes perhibeant regnasse

(Liv. I 21,6) Romulum annos 37
(„ I 17, 5.6) interregnum fuisse anni 1

[1]) pg. XXVI.

(Liv. I 21, 6) Numam Pompilium annos 43
(„ I 31, 8) Tullum Hostilium „ 32
(„ I 35, 1) Ancum Martium „ 24
(„ I 40, 1) Tarquinium Priscum „ 38
(„ I 48, 8) Servium Tullium „ 44

alium numerum traditum inveniamus ab Eutropio et Rufo Festo regni Lucii Tarquinii Superbi, et, quod cum his cohaeret, summae omnium regum imperii annorum; legimus enim apud Livium I 60, 3: „L. Tarquinius Superbus regnavit annos quinque et viginti“ et I 60, 4: „regnatum Romae est ab condita urbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quattuor.“

Sed quamquam brevissimus est Rufi Festi libellus, non solum hoc uno loco sed etiam duobus aliis una cum Livii excerptoribus eum ab ipso Livio abhorrere videmus, quorum alterum adfert Thouret in annal. philol. class. vol. supplt. XI. pg. 175 sqq.: tradit enim Rufus Festus cap. VI.: „aurum et signa, quae Galli ceperunt, reportavit (Camillus.)“; quae apud Eutropium quoque leguntur I 20: „secutus eos Camillus ita cecidit, ut et aurum, quod his datum fuerat, et omnia, quae ceperant militaria signa revocaret.“ Signa autem a Camillo Gallis esse erepta Livius memoriae non prodidit. (cf. Liv. V 49, 5. 6.)

Alterum Rufi Festi locum, de quo ut verba faciam restat, una cum iis, quae perhibentur a Vopisco, Eutropio, Pseudo-Idatio, Cassiodoro non e Livio sed ex eius epitoma fluxisse docuit Mommsenus (vide ‚römische Chronologie‘ pg. 204, 2. Aufl.)

Cum enim quinque annos sine magistratu Romam fuisse tradat Livius VI 35: „comitia praeter aedilium tribunorumque plebi nulla sunt habita; Licinius Sextiusque tribuni plebis refecti nullos curules magistratus creari passi sunt, eaque solitudo magistratuum, —, per quinquennium urbem tenuit“, quattuor contra annos perhibent: Vopiscus, Tacitus 1: „video mihi obiici posse curules magistratus apud maiores nostros quadriennium in republica non fuisse“, Eutropius II 3: „quadriennium ita in urbe fluxit, ut potestates ibi maiores non essent“, Idatius 362: „postea annis IV nemo curulis magistratus fuit“, Cassiodorus 362: „L. Valerius et M. Manlius . . . tunc dignitates mutatae sunt et in loco consulum per annos XVII tribuni militares fuerunt. Quibus ob insolentiam remotis per annos IIII potestas consulum tribunorumque cessavit.“ [1])

De Cassiodoro.

Magnum Aurelium Cassiodorum Senatorem ea, quae de re publica Romana adfert, ex eadem Livii epitoma, qua ceteri excerptores usi sunt, hausisse Mommsenus[2]) optime docuit:

1.) Cassiodor. 362: per annos IIII potestas consulum tribunorumque cessavit.“ (vide quae de his disseruimus pg. 52.)

2.) Cassiodor. 245: „Iunius Brutus et L. Tarquinius. hi annum integrum minime tenuerunt, ad peragendum tempus aliis subrogatis id est L. Valerio, Sp. Lucretio et Horatio Pulvillo.“ Lucium Valerium illius subrogati consulis nomen fuisse aeque ac Cassiodorus perhibent Aurelius Victor XV; Eutropius I 9; Periocha II; Augustinus pg. 200, 5 (cf. supra pg. 16.), cum et Livius II 2 et Valerius Maximus 4, 1, 1 Publium Valerium eum nominent.

3.) Similiter consulem anni 576 Cassiodorus appellat Cn. Manlium, quo una cum Obsequente 8. discrepat ab illis, quae apud Livium 40,59 legimus: „creati sunt consules M. Iunius Brutus A. Manlius Vulso.“

[1]) Quattuor annorum interregnum fuisse Dio Cassius quoque tradidit apud Zonaram VII 24. pg. 361 D. (cf. Pirogoffium pg. 28).

[2]) Mommsen: die Chronik des Cassiodor, in „Abhandlungen der Kgl. sächs. Gesellsch. der Wissenschaften“ VIII 547 ff.

His, quos collegit Mommsenus, locis tres alios adiungit Zangemeister[1]), quibus una cum Orosio abhorrere dicit Cassiodorum a Livio:

Oros. IV 7, 1 = Cass. 490 Quintus (pro Marco.)
„ IV 11, 6 = Cass. 513[2]) Catulus (pro Cercone.)
„ V 16, 1 = Cass. 649 C. Manlius (pro Cn. Mallio.)

Dolendum est Livii libros 16; 19; 67 esse deperditos, qui res a consulibus annorum 490, 513, 649 gestas continuerunt. Nam cum verisimile sit recta a Livio consulum nomina esse tradita, cum ipsum inspicere iam non liceat, diiudicari non poterit, utrum Cassiodori et Orosii auctor apud Livium haec invenerit an aliunde falsa illa nomina hauserit. Sed ut mendis vel dissensionibus, quas easdem apud Cassiodorum et complures excerptores esse vidimus, docetur Cassiodorum non Livio ipsi sua debere, ita maxima interdum inter Cassiodorum et Livii excerptores verborum congruentia (quamvis perbreves sint illius adnotationes) verisimile fit, Cassiodorum ex communi excerptorum fonte, id est ex epitoma Livii illa deperdita, hausisse. Quae quattuor locis Mommsenus probavit: Cass. 571; 648; 658; 671, quorum primus ipsius fontis fortasse verba praebet. Legimus enim Cass. 571: „M. Claudius et Q. Fabius Labeon. His consulibus Hannibal apud Prusiam veneno periit." eademque invenimus apud Obsequentem pg. 112, 7: „Hannibal in Bithynia veneno periit"; quae fontis verba et Orosius IV 20, 29 (veneno se necavit) et Periocharum auctor pg. 42, 16 (veneno sibi mortem conscivit) mutavisse mihi videntur. Livius ipse scribit 39, 45, 51: „Hannibal venenum poposcit — poculum exhausit."

Cass. 648: „Per Servilium Caepionem cons. iudicia equitibus et senatoribus communicata."

Obsequens pg. 124, 20: „Per Caepionem consulem senatorum et equitum iudicia communicata."

Cass. 658: „Ptolemaeus Aegypti rex populum Romanum heredem reliquit."

[1]) cf. „Festschrift" pg. 102.
[2]) 513 sine dubio pro 519 Zangemeisteri scribendum est.

Obsequens pg. 127, 26: „Ptolemaeus rex Aegypti Cyrenis mortuus S. P. Q. Romanum heredem reliquit." Quibus addenda sunt ea, quae leguntur Perioch. pg. 72, 20: „Ptolemaeus, Cyrenaeorum rex, cui cognomen Apionis fuit, mortuus heredem populum Romanum reliquit."

Cass. 671: „L. Scipio et C. Norbanus. his conss. Capitolium custodum neglegentia concrematur."

Obsequens pg. 132, 10: „. . aeditui Capitolium una nocte conflagravit."

Cum Mommsenus inter se comparet complures Cassiodori et Obsequentis locos, Zangemeister Cassiodori et Orosii duos locos adfert, quorum alter optime causam nostram adiuvat alter minus ei prodesse mihi videtur:

Cass. 524: „M. Aemilius et M. Junius. His conss. Hamilcar Hannibalis pater in Hispania bellum Romanis parans occisus est. Hic solitus dicere quattuor filios contra p. R. velut catulos leonis [se] educare."

Orosius IV 13, 1: „Hamilcar, dux Carthaginiensium, ab Hispanis in bello, cum aliud bellum adversus Romanos clam pararet, occisus est."

Sine dubio eundem auctorem hoc loco sequitur Cassiodorus, quem Orosius adhibuit; quod non tam facile intelligitur altero loco:

Cass. 705: „L. Lentulus et C. Marcellus. His conss. perniciosae in curia conflantur de Pompeio Caesareque discordiae. Sed Gaius Julius Caesar de Gallis veniens Pompeium fugavit Italia aurum atque argentum Romae de aerario sustulit ac primus Romanorum singulare obtinuit imperium."

Orosius VI 15, 5: „Caesar Romam venit negatamque sibi ex aerario pecuniam fractis foribus invasit protulitque ex eo auri pondo quattuor milia centum triginta et quinque, argenti prope nongenta milia."

(Ad initium Cassiodori loci comparandus etiam est Obsequens pg. 134, 20: „inter Caesarem et Pompeium bella civilia exorta.")

Hi sunt loci, quos Zangemeister et Mommsenus contulerunt. Comparatione accurata facta inter omnia ea, quae Cassiodorus consulum fastis addidit, et excerptorum locos, quibus eadem atque apud Cassiodorum enarrantur, compluribus etiam aliis locis ea, quae Zangemeister et Mommsenus probaverunt, firmari videbimus.

Cass. 253: „Dictator primus T. Largus et magister equitum Sp. Cassius ordinatur."

Eadem leguntur apud Livium II 18, 5 et apud Eutropium I 12: „Dictator autem Romae primus fuit Larcius, magister equitum primus Spurius Cassius."

Cass. 300: „legati Athenas missi ad leges describendas."
Livius III 31: „missi legati Athenas . . iussique inclitas leges Solonis describere."
Periochae pg. 8, 23: „petitis per legatos et adlatis Atticis legibus."

Cass. 302: „a consulibus ad decemviros translatum imperium est."
Periochae pg. 8, 24: „a consulibus ad decemviros imperium translatum."
Livius III 33: „mutatur forma civitatis ab consulibus ad decemviros, quemadmodum ab regibus ante ad consules venerat, translato imperio."

Cass. 416: „rostra navium de Antiatibus in foro fixa sunt." Comparari potest solus Livius VIII 14.

Cass. 422: „pax cum Alexandro rege Epiri facta est." — Livius solus horum similia praebet VIII 17.

Cass. 428: „Alexandria in Aegypto condita." Cum nihil de Alexandria condita ab excerptoribus perhibeatur, rem enarrat Livius VIII 24.

Cass. 442: „per Appium Claudium censorem via facta et aqua inducta est, quae ipsius nomine nuncupatur." Quam rem enarratam invenimus apud Livium IX 29, 6: „censura clara eo anno Apii Claudii et C. Plautii fuit, memoriae tamen felicioris ad posteros nomen Appi, quod viam munivit et aquam in urbem duxit." Verba

tamen Cassiodori simillima leguntur etiam apud Eutropium II 9: „eo tempore Appius Claudius censor aquam Claudiam induxit et viam Appiam stravit." Quibuscum consentiunt Periochae pg. 15, 24: „Appius Claudius censor aquam Claudiam perduxit, viam stravit, quae Appia vocata est" et Aurelius Victor 34, 7: „Viam usque Brundisium lapidibus stravit, unde illa Appia dicta, aquam in urbem induxit."

Cass. 448: „viae per agros publice factae"; quae apud Livium solum tradita invenimus 9, 43: „viae per agros publica impensa factae."

Cass. 534: „via Flaminia munita et circus factus, qui Flaminius appellatur."
cf. Periochas pg. 24, 2: „C. Flaminius censor viam Flaminiam munivit et circum Flaminium exstruxit."

Cass. 619: „Aemilianus Scipio ob Numantinum bellum, cum candidatus non esset, consul creatur."
Periochae pg. 61, 21: „cum bellum Numantinum vitio ducum non sine pudore publico duraret delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque Romano consulatus."
Eutropius IV 17: „ . . Publius Scipio Africanus secundo consul factus et ad Numantiam missus est."
Orosius V 7, 1: „Scipio Africanus consensu omnium tribuum consul creatus est atque ad expugnandam Numantiam cum exercitu missus est."

Cass. 632: „C. Sextius oppidum aedificavit, in quo aquae Sextiae, in Gallis."
Periochae pg. 66, 24: „C. Sextius procos. victa Saluviorum gente coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam e caldis frigidisque fontibus atque a suo nomine ita appellatas."

Cass. 685: „a. Q. Catulo reparatum dedicatumque Capitolium est."
Periochae pg. 88, 13: „templum Iovis in Capitolio, quod

incendio consumptum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est."

Cass. 693: „Catilina in agro Pistoriensi a. C. Antonio bello peremptus est."

Periochae pg. 90, 20: „Catilina a C. Antonio procos. cum exercitu caesus est."

Eutropius VI 15: „ab Antonio . . . Catilina victus proelio est et interfectus."

Obsequens pg. 134, 24: „C. Antonius procos. cum in agro Pistoriensi Catilinam devicisset, laureatos fasces in provinciam tulit."

Cass. 696: „Clodii rogatione Cicero in exilium est profectus."

Periochae pg. 91, 7: „M. Cicero lege a P. Clodio tr. pl. lata, quod indemnatos cives necavisset, in exilium missus est."

Cass. 697: „Propter civiles dissensiones per S. C. de exilio Cicero revocatur."

Periochae pg. 91, 22: „M. Cicero Pompeio inter alios res gerente et T. Antonio Milone tr. pl. ingenti gaudio senatus ac totius Italiae ab exilio reductus est."

Cass. 707: „Caesar Pompeium Farsalio proelio superavit, Pompeius fugiens in Aegypto occisus est."

Periochae pg. 96, 12: „Cn. Pompeius ad Dyrrachium obsessus a Caesare et — obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello apud Pharsaliam acie victus est."

Perochiae pg. 96, 22: „Cn. Pompeius cum Aegyptum petisset, iussu Ptolemaei regis — occisus est."

Obsequens pg. 135, 4: „(Pompeius) mox acie victus in Aegypto occisus est."

Uberior de hac re est Eutropius VI 21.

Cass. 710: „M. Antonius Lupercalibus sella aurea sedenti Caesari diadema renuenti imposuit, atque idibus Martiis Caesar in Pompeia curia occisus est."

Obsequens pg. 136, 7: „ipse Caesar viginti tribus vulneribus in curia Pompeiana a coniuratis confossus."

Periochae pg. 99, 18: „Caesar in Pompei curia occisus est XXIII vulneribus."

Aurelius Victor cap. 78, 10: „dictator in perpetuum factus a senatu in curia Cassio et Bruto caedis auctoribus tribus et viginti vulneribus occisus est."

Eutropius VI 25: „Caesar cum senatus die inter ceteros venisset ad curiam tribus et viginti vulneribus confossus est."

Orosius VI 17, 1: „(Caesar) in curia viginti et tribus vulneribus confossus est."

Cass. 711: „Caesar Octavianus, Antonius et Lepidus amicitiae foedus inierunt. M. Cicero Caietae per Popilium militem occisus est annorum LXIII. Caesar Octavianus forum Augustum aedificavit."

Periochae pg. 102, 12: „huius (Ciceronis) occisi a Popillio legionario milite, cum haberet annos LXIII, caput quoque cum dextra manu in rostris positum est."

Aliis verbis Ciceronis per Antonium proscriptionem enarrant Orosius VI 18, 11; Aurelius Victor cap. 81; Eutropius VII 2.

Cass. 723: „apud Actium M. Antonius a Caesare superatur."

Cass. 724: „Antonius a Caesare proelio peremptus Alexandriae in mausoleo cum Cleopatra reconditur."

Periochae pg. 106, 30: „Antonius ad Actium classe victus Alexandriam profugit, obsessusque a Caesare in ultima desperatione rerum, praecipue occisae Cleopatrae falso rumore impulsus se ipse interfecit. Cleopatra voluntario morte defuncta."

Eutropius VII 7: „(Antonius) victus est ab Augusto navali pugna clara et inlustri apud Actium, qui locus in Epiro est, ex qua fugit in Aegyptum et desperatis rebus, cum omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit. Cleopatra sibi aspidem admisit et veneno eius extincta est."

Cass. 727: „Caesar leges protulit, iudices ordinavit, provincias disposuit et ideo August uscognominatus est."

Periochae pg. 107, 12: „C. Caesar rebus compositis et

omnibus provinciis in certam formam redactis . . . Augustus quoque cognominatus est."

Cass. 729: „Cantabros Germanos Salassos Caesar perdomuit."

Periochae pg. 107, 20: „a Caesare adversus Hispanos (bellum) gestum refertur, et Salassi, gens Alpina, perdomiti." (cf. etiam Eutropium VII 9.)

Similia apud ceteros excerptores omnino non habent, quae Cassiodorus adposuit ad annos 515; 535; 568; 596; 601; 639; 670; 730; 734; 735; cum Livio autem solo, ut vidimus, comparari possunt, quae adnotavit ad annos 416; 422; 428; 448; 568. Sed quamquam ne illa quidem, quae tradit Cassiodorus sub annis 300; 696; 697; 707; 723; 724; 619, et quae etiam apud Orosium et apud Periochas enarrata invenimus, causam nostram iuvare possunt, quia ad comparationem non apta sunt, satis tamen multi loci restant, quibus ostenditur, Cassiodorum non solum cum Obsequente et Orosio sed etiam cum Eutropio et imprimis cum Periocharum auctore cohaerere.

Magnam enim videmus esse verborum convenientiam inter

Cass. 253	et	Eutr. I 12.
Cass. 442	„	Eutr. II 9; Per. pg. 15, 24.
Cass. 302	„	Per. pg. 8, 24.
Cass. 534	„	Per. pg. 24. 2.
Cass. 632	„	Per. pg. 66, 24.
Cass. 711	„	Per. pg. 102, 12.
Cass. 727	„	Per. pg. 107, 12.
Cass. 729	„	Per. pg. 107, 20.
Cass. 658	„	Per. pg. 72, 20; Obsequ. pg. 127, 26.
Cass. 710	„	Per. pg. 99, 18; Obsequ. pg. 136, 7.

Quibus additis illis, quae Mommsenus et Zangemeister de Cassiodori huius partis fonte docuerunt, satis probari mihi videtur, Cassiodorum quoque epitomae illi deperditae sua debere; et ne illis quidem locis, quibus aut Livium solum comparare possumus (Cass. 416; 422; 428; 448; 568), aut quibus maximum verborum concentum esse videmus non solum inter Cassiodorum Liviique excerptores sed etiam inter

Cassiodorum et Livium ipsum (Cass. 253; 300; 302) fontem suum mutavisse Cassiodorum puto; facillime enim intellegitur, multa ad verbum e Livio esse hausta ab illo epitomae deperditae auctore, quem cum sequerentur excerptores servati, mirandum esset, nisi saepissime Livii verba apud ipsos legeremus.

De Obsequente.

Livium ipsum non fuisse Obsequentis auctorem duobus docetur locis, quorum alterum adfert Zangemeister[1]) alterum Mommsenus.[2])

1. Tradidit enim Obsequens pg. 112, 7: „in Sicilia insula nova maritima" una cum Orosio IV 20, 30: „in Sicilia tunc Vulcani insula, quae ante non fuerat, repente mari edita." Quae satis perverse tradita eundem fontem mihi ostendere videntur; neque tamen Livius ipse talia exhibuit, cum apud eum legatur 39, 56, 6: „ . . . haud procul Sicilia novam insulam, quae ante non fuerat, novam editam e mari esse."

2. Altero loco „Cn. Manlium" nominat Obsequens[3]) una cum Cassiodoro consulem anni 576 pro „A. Manlio", quod recte a Livio traditum fuisse verisimile est.

Quibus cum doceatur Obsequentem Livio non esse usum, maximo inter Obsequentem ceterosque excerptores textus concentu comprobari mihi videtur Obsequentem quoque ex epitoma perdita hausisse. Prodigiorum locos similes, qui apud Livium eiusque excerptores inveniuntur, Jahnius in editione Periocharum et Obsequentis adscripsit, et videmus ad verbum fere congruere prodigia ab Obsequente tradita cum Livio:

Obsequens	1	—	Livius	37, 3, 2;
„	2	—	„	38, 36, 4;
„	3	—	„	39, 22, 3;

[1]) cf. „Festschrift" pg. 102.
[2]) cf. Cassiodor. 696.
[3]) cf. supra pg. 53.

Obsequens	4 —	Livius (? 39, 46, 5; 39, 56, 6;)
„	5 —	„ 40, 2, 1—3;
„	6 —	„ 40, 19, 1—4; 40, 29, 2;
„	7 —	„ 40, 45, 3; 40, 59, 7;
„	8 —	(similis locus non exstat.)
„	9 —	Livius 41, 14, 7; 41, 15, 1—4; 41, 16, 3; 41, 18, 11;
„	10 —	„ 41, 21, 5—7;
„	11 —	„ 45, 16, 5.

Quae Obsequentis prodigia cum Livio ipso comparare possumus; sed quamquam simillima sunt utriusque verba, non Livium esse Obsequentis auctorem, ut supra iam dixi, docuerunt Zangemeister et Mommsenus. Praeterea illud „aedes Iovis“ Obsequens (3) Livio, qui scribit „aedes Opis“, non debere mihi videtur, et fortasse ille quoque consulum nominum ordo, quo Obsequens[1]) — una cum Cassiodoro 572 et 696 contra Livium pugnat, epitomae utriusque fonti tribuendus est. Quae ad verbum saepe a Livio paucis iam plerumque tradita prodigia enarravisse videtur; maximam enim etiam inter Orosium Periochasque et Livium prodigiorum similitudinem esse videmus:

Orosius II 12, 2	—	Livius III 5, 14;
Periochae pg. 39, 1	—	„ XXXV 21, 4.

quamquam sine dubio neque Periocharum auctor neque Orosius e Livio ipso hauserunt; quo factum est, ut apud Obsequentem quoque eadem fere verba atque apud Livium haud raro legamus. Sed ut cum ipso ita cum ceteris excerptoribus saepissime Obsequens congruit. Sunt enim simillima inter se, quae tradunt:

Obsequens	pg. 117, 24	et	Orosius	V 4, 8;
„	pg. 118, 25	„	„	V 6, 1;
„	pg. 119, 5	„	„	V 6, 2;
„	pg. 121, 10	„	„	V 10, 11;

[1]) cf. Obsequentem 5 et 8.

Obsequens	pg. 122, 12	et	Orosius V 13, 3; August. III 31;
„	pg. 123, 5	„	„ V 15, 20. 21;
„	pg. 129, 17	„	„ V 18, 3—6;
„	pg. 130, 4	„	„ V 18, 9; August. III 23;
„	pg. 131, 15	„	„ V 19, 18;
„	pg. 134, 19	„	„ VI 14, 5; VII 2, 11;
„	pg. 118, 9	„	Periochae pg. 60, 20;
„	pg. 126, 5	„	„ pg. 71, 12;
„	pg. 134, 12	„	Florus III 11;
„	pg. 135, 1	„	„ IV 2;
„	pg. 138, 22	„	„ IV 7;
„	pg. 136, 12	„	Orosius VI 20, 5;
„	pg. 120, 20	„	August. III 11;
„	pg. 121, 20	„	„ III 31; Perioch. pg. 66, 26; Oros. V 11, 2;
„	pg. 131, 24	„	August. III 7; Aurelius Victor cap. 70, 3;
„	pg. 132, 1	„	August. II 25.

Videmus igitur haud paucis locis Obsequentis prodigiorum descriptionem eandem fere esse atque Augustini Flori, Aurelii Victoris et imprimis Periocharum et Orosii, neque errare nos existimo, si Obsequentem ut illa superiora, quae sine dubio non e Livio ipso hausit, haec quoque communi excerptorum fonti, id est epitomae illi deperditae, debere putamus.

Neque aliter iudicandum esse mihi videtur de adnotationibus ad res gestas Romanorum spectantibus, quas Obsequens haud raro et inseruit et adiunxit prodigiorum enarrationi; quae quamvis paucorum plerumque sint verborum, tamen propius interdum ad excerptoris alicuius textum accedunt quam ad Livii ipsius verba. Cuiusmodi supra iam allati sunt complures loci, cum de Cassiodori fonte diceretur (cf. Cass. 571; 648; 657; 671), sed non solum apud Cassiodorum, sed etiam apud ceteros Livii excerptores similia exstant:

Obsequens pg. 113, 13: „Vestae penetralis ignis extinctus."
Periochae pg. 43, 25: „ignis in aede Vestae extinctus est."
Obsequens pg. 119, 17: „bellum fugitivorum in Sicilia exortum."
Periochae pg. 61, 24: „bellum servile in Sicilia ortum."
Orosius V 6, 3: „in Sicilia bellum servile ortum est."
Obsequens pg. 120, 24: „Phrygia . . recepta Asia, Attali testamento legata Romanis."
Periochae pg. 64, 6: „Aristonicus, Eumenis filius, Asiam occupavit, cum testamento Attali regis legata populo Romano libera esse deberet."
(vide etiam Oros. V 8, 4; Eutr. IV 18.)
Obsequens pg. 122, 3: „Fregellae, quae contra Romanos coniuraverunt, dirutae."
Periochae pg. 65, 24: „L. Opimius praetor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit."
Obsequens pg. 123, 11: „tres uno tempore virgines Vestales nobilissimae — incesti poenas subierunt."
Periochae pg. 68, 6: „Aemilia Licinia Marcia virgines Vestales incesti damnatae sunt."
(cf. Oros. V 15, 22.)
Obsequens pg. 125, 9: „Cimbri Alpes transgressi post Hispaniam vastatam iunxerunt se Teutonis."
Periochae pg. 70, 14: „Cimbri vastatis omnibus, quae inter Rhodanum et Pyrenaeum sunt per saltum in Hispaniam transgressi ibique multa loca populati a Celtiberis fugati sunt, reversique in Galliam in belli casus se Teutonis coniunxerunt."
Obsequens pg. 133, 24 cf. Cassiodorum 693.
„ pg. 134, 20 cf. „ 705.
„ pg. 135, 4 cf. „ 707.
„ pg. 136, 7 cf. „ 710.

Multi restant loci, quibus Obsequens res a ceteris Livii excerptoribus tractatas paucissimis tangit; sed cum aliis verbis usus nimis ab illis abhorreat locos illos, quippe qui rem nostram non augeant, non exscripsi. Satis enim his,

quos enumeravi, locis demonstrari puto Obsequentem quoque ex eodem fonte hausisse, quo usi sunt Periocharum auctor, Orosius, Cassiodorus.

De Eutropio.

De „breviarii a. u. c. indole ac fontibus" optime disseruit Pirogoffius. Qui cum accuratissime quos fontes secutus sit Eutropius quaesiverit, liviana quidem esse plurima, quae in eius breviario exstant, comprobavit: neque tamen e Livio ipso eum hausisse putat, cum dissensiones, quae inter Livium et Eutropium — Rufum Festum — Cassiodorum inveniuntur, „chronico cuidam e Livio hausto Eutropiique et Cassiodori fonti communi" tribuendas esse dicat.[1]) Cum antem illum fontem supra iam de Cassiodoro locutus eundem esse demonstravisse mihi videar, ex quo fluxerunt Periochae, Orosius. Obsequens, Augustinus, Eutropium quoque epitoma illa Livii deperdita usum esse efficitur.

Pugnat autem Eutropius contra Livium his locis:

1. Eutr. I 3: „Numa Pompilius morbo decessit." cf. Aurelium Victorem III 3; Augustinum III 15.[2])
2. Eutr. I. 5: „Ancus Marcius morbo periit." cf. Aug. III 15.[2])
3. Eutr. I 7: „montes tres Quirinalem, Viminalem, Capitolinum urbi adiecit."
   Per. pg. 4, 19: „colles urbi adiecit Quirinalem, Viminalem, Esquilinum (Servius Tullius)." Qui cum ad verbum inter se consentiant, Livius tradit I 44, 3: „addit duos colles Quirinalem Viminalemque, inde deinceps auget Esquilias ibique ipse, ut loco dignitas fieret, habitat."
4. Eutr. I 7: „(Servius Tullius) primus omnium censum ordinavit."
   Per. pg. 4, 17: „is censum primum egit."
   Per. pg. 5: „censum primus omnium egit."

[1]) Pirogoffius pg. 30.
[2]) Pirogoffius pg. 45; vide supra pg. 13.

Cass.: (Mommsen. pg. 593) „Servius Tullius, qui primus censum instituit civium Romanorum.“ Livius quoque I 42, 5 tradit: „ . . censum enim instituit“, tamen verba illa „primus omnium“ Eutropii, Periocharum, Cassiodori, cum non apud Livium legantur, epitomam mihi indicare videntur.

5. Eutr. I 8: „regnatum est Romae amos 243.“ vide quae supra diximus pg. 50 sq.
6. Eutr. I 8: „postea Ardeam oppugnans in octavo decimo miliario ab urbe postiam civitatem imperium perdidit (Tarqu. Superbus).“ Rufus Festus III: „non amplius quam usque Portum atque Hostiam intra octavum decimum miliarium a portis urbis Romae, utpote adhuc parvae et a pastoribus conditae cum finitimae circum civitates premerent, processit imperium.“
   Vide quae de his disseruit Pirogoffius pg. 49.
7. Eutr. I 9: „Lucium Valerium Publicolam“ pro Publio nominat Eutropius consulem primi anni suffectum. cf. Cass. 594; Per. pg. 6, 21; Aur. Vict. XV; Aug. pg. 200, 5; cf. supra pg. 16.
8. Eutr. I 9: „Tarquinio dignitas sublata.“ Per. pg. 6, 10—12; Aug. pg. 65, 1; 106, 8; cf. Pirogoffium pg, 53; cf. supra pg. 12.
9. Eutr. I 10: „Lucretius Triceptinus morbo moritur“; Aug. pg. 107, 11; vide supra pg. 9.
10. Eutr. I 18 duos tantum decemvirorum annos numerat; Rufus Festus cap. II. cf. Pirogoff. pg. 27.
11. Eutr. I 20: „signa a Gallis reportavit Camillus“; vide supra pg. 52.
12. Eutr. II 3; Rufus Festus cap. II; Cassiodorus 362 quattuor pro quinque livianis (VI 35, 10) annorum interregnum fuisse tradunt (cf. Pirogoffium pg. 28.). Quibus addendi sunt Idatius, Vopiscus; vide supra pg. 52.
13. Eutr. II 24 et Orosius IV 9, 14 C. Furium „Placidum“ pro „Pacilo“ alterius consulis nomen fuisse memoriae prodiderunt. cf. Zangemeisterum pg. 102.

14. Tribunorum militum annos consularibus annis interpositos omittunt: Eutropius, Cassiodorus, Rufus Festus; vide quae de his dicit Pirogoffius pg. 28; 29.

Satis his locis doceri puto Eutropium quoque inter eos scriptores esse numerandum, qui non Livium ipsum sed epitomam eius deperditam sequuntur. Atque eodem fonte usi esse videntur Idatius et auctor chronici paschalis. Duobus enim locis illis, quae Mommsenus de Idatio dixerat, additis Zangemeister[1]) una cum ceteris Livii excerptoribus contra ipsum pugnare probat etiam

Idatium et chronicon paschale.

1. Idatius 516 et Orosius IV 11, 10 Valerium Falconem (pro Faltone) nominant collegam T. Sempronii Gracchi.[1])
2. Idatius 362: „annis IV nemo curulis magistratus fuit.“ vide suqra pg. 52.
3. Idatius et auctor chronici paschalis Rutilium (pro Rupilio) appellant alterum anni 622 consulem una cum Orosio V 9, 7 et Periocharum auctore pg. 64, 4.[1])

Quibus nil novi addi potest, nisi forte ille, quem supra[2]) iam attuli, locus chronici paschalis 429: „(*Κάμιλλος*) *ὕπατος τὸν ἴδιον υἱὸν ἐπελέκισεν παρὰ γνώμην αὐτοῦ συμβαλόντα πόλεμον καὶ νικήσαντα.*

Qua de re illi iam loci enumerandi esse mihi videntur, quibus Zangemeister („Festschrift“ pg. 96 sqq.) docuit et probavit Orosium et Periocharum auctorem ex epitoma Livii deperdita hausisse:

1. Per. pg. 6, 18: „(Brutus) . . Veientum et Tarquiniensium copiis . . in acie cum Arrunte filio Superbi commortuus est.“

---

[1]) Zangemeister, „Festschrift“ pg. 102.
[2]) pg. 28.

Oros. II 5, 2: „ipse deinde Veientum Tarquiniensiumque bello cum Arrunte, Superbi filio, congresso sibi commortuoque procubuit."

contra Liv. II 6 (vide supra pg. 24).

2. Per. pg. 3, 20: „ad id bellum gerendum arcessitus est (Cincinnatus)."

Oros. II 12, 8: „arcessitus ad fasces."

contra Liv. III 26 (vide supra pg. 15).

3. Per. pg. 8, 11: „plebs montem Aventinum occupavit."

Oros. II 13, 7: „populus montem Aventinum occupavit armatus."

contra Liv. III 50, 12 sq.

4. Per. pg. 11, 7: „cum Galli Senones Clusium obsiderent et legati a senatu missi ad componendam inter eos et Clusinos pacem pugnantes contra Gallos in acie Clusinorum*, hoc facto eorum concitati . ."

Oros. II 19, 5: „Galli Senones . . cum urbem Clusini, quae nunc Tuscia dicitur, obsiderent, legatos Romanorum, qui tunc componendae inter eos pacis gratia venerant, in acie adversum videre pugnantes, qua indignatione permoti . . ."

Vide Liv. V 33, 35—39.

5. Per. pg. 26, 7: „cum a nobilibus adulescentibus propter desperationem consilium de relinquenda Italia iniretur, P. Cornelius Scipio tribunus militum, qui Africanus postea vocatus est, stricto supra capita deliberantium ferro iuravit pro hoste se habiturum eum, qui in verba sua non iurasset."

Oros. IV 16, 6: „usque adeo autem ultima desperatio rei publ. apud residuos Romanos fuit, ut senatores de relinquenda Italia sedibusque quaerendis consilium ineundum putarint. Quod auctore Caecilio Metello confirmatum esset nisi Cornelius Scipio tribunus tunc militum, idem qui post Africanus, destricto gladio deterruisset ac potius pro patriae defensione in sua verba iurare coegisset." cf. Liv. XXII 53.

6. Per. pg. 27, 5: „L. Postumius praetor a Gallis cum exercitu caesus est."

Oros. IV 16, 11: „L. Postumius praetor adversus Gallos pugnare missus cum exercitu caesus est."

cf. Liv. XXIII 24, 6: „ . . . L. Postumium consulem designatum in Gallia ipsum atque exercitum deletos."

7. Per. pg. 27, 10: „Claudius Marcellus praetor Hannibalis exercitum ad Nolam proelio fudit et vicit primusque tot cladibus fessis Romanis meliorem spem belli dedit."

Oros. IV 16, 12: „Claudius Marcellus expraetore proconsule designatus Hannibalis exercitum proelio fudit primusque post tantas reipublicae ruinas spem fecit Hannibalem posse superari!" Referenda sunt haec verba ad proelium secundum ad Nolam commissum (Liv. XXIII 44—46); sumpta autem sunt illa verba Periocharum et Orosii: „primusque . . . et sqq." e Livio XXIII 16, 16; 30, 19, ubi ipse de prima apud Nolam victoria verba facit.

8. Per. pg. 28, 19: „Ti. Sempronius Gracchus procos. ab hospite suo Lucano in insidias deductus a Magone interfectus est."

Oros. IV 16, 15: „Sempronius Gracchus procons. a. h. s. L. quodam in ins. inductus occisus est."

cf. Liv. XXV 16, 15 (in ins praecipitatur.)

9. Per. pg. 28, 21: „Centenius Paenula — caesus est."

Oros. IV 16, 16: „Centenius Paenula — caesus est." Liv. XXV 19: „Centenius P.— obiectans se hostium telis cecidit."

10. Per. pg. 29, 1: „Cn. Fulvius praetor male adversus Hannibalem pugnavit . . ipse cum equitibus effugit."

Oros. IV 16, 17: „Cn. Fulvius praetor ab Hannibale victus amisso exercitu vix evasit." cf. Liv. XXV 20, 6; (XXV 21, 1. 9 [effugit]. 10 [evaserint]).

11. Per. pg. 29, 20: „Capua capta est a Q. Fulvio et Appio Claudio cos.; principes Campanorum veneno sibi mortem consciverunt; cum senatus Campanorum . . Q Fulvius consul . . supplicium peregit."

Oros. IV 17, 12: „Capua capta est a Q. Fulvio proconsule; principes Campanorum veneno mortem sibi consciverunt; senatum omnem Capuae suppliciis necavit.“

Liv. XXVI 14—16 rem aliis verbis usus enarrat: pro „principibus“ cap. 14, 3 „senatores“ dicit et pro verbis „veneno — consciverunt“ exhibet: „venenum sumpserunt.“

12. Per. pg. 30, 19: „insidiis circumventi“; cum eadem legantur apud Orosium IV 18, 8, haec locutio non invenitur apud Livium.

13. Per. pg. 34, 14: „(Scipio) bina hostium castra expugnavit, in quibus XL milia hominum ferro ignique consumpta sunt. Syphacem per C. Laelium et Masinissam cepit.“

Oros. IV 18, 19: „in utrisque castris XL milia hominum igni ferroque consumpta sunt . . . § 21: Syphacem fugientem Laelius et Masinissa ceperunt.“

contra Liv. XXX 3—6. 9. 12. 13. 16.

14. Per. pg. 24, 22 et Oros. IV 14, 9 Magonem (pro Hannone) a Scipione in Hispania captum esse tradunt, cum Livius ipse XXI 60 non peccaverit hac in re.

15. Quas autem res tractandas delegerit et qua ratione res enarratas a Livio ordinaverit epitomae auctor duobus imprimis Periocharum et Orosii locis illustratur:

a) Sempronius Per. pg. 37, 8; Oros. IV 20, 10;
b) Marcellus „ pg. 37, 9; „ IV 20, 11;
c) Antiochus „ pg. 37, 11; „ IV 20, 12. 13;
d) lex Oppia „ pg. 37, 18; „ IV 20, 14;

quae apud Livium, multis singulis capitibus interpositis traduntur a) XXXIII 25; b) XXXIII 36. 37; c) XXXIII 42—44; d) XXXIV 1. 8.

16. Scipio Per. pg. 42, 11; Oros. pg. 265, 12;
Hannibal „ pg. 42, 13; „ pg. 265, 14;
Philopoemen „ pg. 42, 16; „ pg, 265, 15;
quae apud Livium inverso ordine leguntur XXXIX 52. 51. 49; cf. etiam XXXIX 50, 10; 52, 8.

Quibus Zangemeisteri locis illi adiungendi sunt, quos supra iam cum aliorum excerptorum contextu maximam consensionem habere vidimus:

17. Per. pg. 13, 2 = Oros. III 5, 2; vide supra pg. 14 (Curtius se praecipitavit. — praecipitio.)

18. Oros. IV 16, 5: tres modios anulorum aureorum Hannibal Carthaginem misit; cf. supra pg. 10 sq.

19. Per. pg. 6, 10: Tarquinium Brutus coegit e civitate cedere; cf. supra pg. 12.

20. Per. pg. 9, 25: Spurius Maelius frumentum largitus est; cf. supra pg. 13 sq.

21. Per. pg. 7, 2: Mucius Scaevola manum altaribus impositam exuri passus est; cf. supra pg. 14 sq.

22. Per. pg. 3, 21 et 5, 39: „Capitolium“ Jovi aedificat Tarquinius Superbus; cf. supra pg. 16.

23. Per. pg. 6, 21: L. Valerius; cf. supra pg. 16.

24. Per. pg. 11, 9: post sextum mensem Camillus Gallos expellit; cf. supra pg. 48.

25. Per, pg. 4, 19: Quirinalem, Viminalem, Esquilinum Servius Tullius urbi addit; cf. supra pg. 65.

26. Per. pg. 4, 17: Servius Tullius censum primum egit; cf. supra pg. 65.

27. Oros. II 4, 13: regnatum est Romae annos 243; cf. supra pg. 11.

28. Oros. II 4, 6: Titum Tatium Romulus occidit; cf. supra pg. 8.

29. Oros. IV 9, 14: „Placidus“ pro „Pacilo“; cf. supra pg. 66.
„ IV 11, 10: „Falco“ pro „Faltone“; cf. supra pg. 67.

30. Oros. IV 9, 7 et Per. pg. 64, 4: „Rutilius“ pro „Rupilio“; cf. supra pg. 67.

31. Oros. IV 7, 1: Quintus pro Marco;
„ IV 11, 6: Catulus pro Cercone;
„ V 16, 1: C. Manlius pro Cn. Mallio; } cf. supra pg. 54.

32. Oros. IV 20, 30: in Sicilia insula mari edita; cf. supra pg. 61.

Vita.

Natus sum Gustavus Ay in vico nunc urbi Lipsiensi attributo Neuschoenefeld a. d. VIII. kal. Apr. anno h. s. LXVI. patre Eduardo, matre Maria e gente Hoerich, quos maxime gaudeo adhuc superstites esse. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis in schola vici mei imbutus, cum annum agerem undecimum, Lipsiam me contuli in gymnasium Thomanum, quod nunc Jungmanno rectore floret. Anno LXXXVI. maturitatis testimonio instructus, ut philologicis studiis me dederem, academiae Lipsiensis civis sum adscriptus. Sed cum initio prospere omnia mihi cederent, oculorum morbo per biennium fere studia intermittere coactus sum.

Scholas audivi virorum doctissimorum Hanssen, Heinze, Lipsius, Masius, Ribbeck, Richter, Rohde, Schreiber, Voigt, Wachsmuth, Windisch, Wundt, Ed. et Fr. Zarncke. Proseminarii magistris usus sum Ribbeckio et Wachsmuthio; seminarii philologici per ter sex menses sodalis fui extraordinarius. In societate autem philologica et item in seminario regio historico per biennium Wachsmuthius benigne me docuit; exercitationes seminarii paedagogici Richtero moderante per duos annos frequentavi. Quibus cum omnibus tum Curtio Wachsmuthio, qui maxime studia mea fovit, gratias semper habebo quam maximas.